


JCB


GAUDEO.







INDIÆ ORIENTALIS
PARS VI.
VERAM ET HISTORICAM DESCRIPTIONEM
AVRIFERI REGNI GVINEÆ, AD AFRICAM PERTINENTIS, QVOD ALIAS LITTVS DE MINA VOCANT, continens, Qua situs loci, ratio vrbium & domorum, portus item & flumina varia, cum variis incolarum superstitionibus, educatione, forma, commerciis, linguis & moribus, succincta breuitate explicantur & percensentur.

LATINITATE EX GERMANICO DONATA

Studio & opera

M. GOTARDI ARTHVS DANTISCANI.

Illustrata vero viuis, & artificiosissime in æs incisis iconibus, inque lucem edita


à

Iohanne Theodoro & Iohanne Israel de Bry fratribus.




Francofurti ad Mœnum ex Officina Wolfgangi Richteri, sumptibus Iohan. Theodori & Iohan. Israel de Bry fratribus.

Anno M. DCIV.





REVERENDISSIMO ILLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI ADAMO, ARCHIEPISCOPO MOGVNTINO, S. Romani Imperii per Germaniam Archicancellario & Principi Electori, &c. Dn. suo Clementissimo.



INTER *alia mundi miracula, Reuerendißime & Illustrißime Princeps Elector, quorum apud Scriptores Ethnicos paßim fit mentio, à Plinio vero septem maxime illustria recensentur, primum sibi vendicarunt locum muri Babylonii, qui alti fuere pedes ducentos, lati quinquagenes, tam spaciosam in summitate exhibentes viam, vt quadrigæ sibi mutuo occurrentes pertransire facile possent. Ambitus eorum 368. stadiorum fuisse, quorum singulo-*

(?) 2 gulo-

gulorum structuram singulis diebus perfectam esse, memoriæ proditum est. His vero extruendis Semiramis regina potentissima, multas impendisse diuitias scribitur, quæ incredibilē simul thesaurum in extructione horti alicuius pensilis profudit. Hortus hic super arce summam murorū altitudinem æquabat, multarum arborum vmbra & proceritate admodum amœnus, Saxo pilæ totum onus sustinentes instructæ fuerant, super pilas lapide quadrato solū stratum erat, terra, quæ satis alta iniecta fuerat, & humoris terram rigantis patiens, arbores sustinebat tam validas, vt stipites earum octo cubitorum spatiū crassitudine æquarint, & in quinquaginta pedum altitudinem eminentes, tam frugiferæ fuerint, ac si terra sua naturali alerentur.

Omnium in semet oculos structura hæc haud immerito conuertit, procul enim visentibus syluæ montibus suis imminere videbantur. Et licet vetustas non opera solum manu facta, sed etiam ipsam naturam paulatim exedendo perimat: hæc tamen moles viginti parietibus, vndecim pedum interuallo à se inuicem distantibus, imposita, multis licet arborum radicibus pressa tantiq; nemoris pondere onerata, longo admodum tempore inuiolata perdurauit. At vero tametsi splendida satis & mirabilis structura hæc fuerit, si tamen penitius introspiciatur, & ad mirabilia Dei, quorum totus refertus est mundus, opera conferatur, vix alicuius quod nihilo minus est habere rationem deprehendetur. Quid enim quæso fuit aliud hic hortus, quam inanis ostentatio opū, & moles inutilis, cuius vix rudera hodie conspiciantur? At de mirabilib. Dei operibus Regius exclamat Psaltes, Psal. 96. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ, ignis ante ipsum procedet, & inflammabit in circuitu eius, alluxerunt fulgura eius orbi terræ. Vidit & commota est terra, montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, annunciauerunt cœli iustitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius. Hinc est quod nō de seipso tantū idem prædicat Ps. 138. Mirabilia sunt opera tua Domine, & anima mea cognoscit nimis. Sed omnes in vniuersum homines hortatur, vt hæc agnoscentes debitis Deum prosequantur laudibus; Cantate, inquit Ps. 98 Domino, & benedicite nomini eius, annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius.

Tametsi

Tametsi vero præstantissimis mirabilium diuinorum operum monumentis, vniuersa hæc mundi machina vndiq; sit refertissima, ita vt ne minimus quidem reperiatur angulus, qui non impressa eorum oculis nostris exhibeat vestigia: attamen cum quæ apud nos geruntur, omnibus sint in propatulo, fit vt in nulla fere apud vulgum admiratione habeantur, qui quod peregrinum est, quod inusitatum, quod inauditum & transmarinum quasi existit, vel solum hodie veneratur, spretis quodammodo & omißis quæ oculis exposita propriis, quotidie ipsi intueri licet, vt verum sit, quod vulgo iactatum nouimus.

Quod rarum, charum, vilescit quotidianum.

Cum igitur animaduerteremus in remotißimis à nobis locis, India nimirum orientali & occidentali, multa reperiri & vsuuenire quotidie, quæ vt admiratione digna sunt, sic ad cognitionem & commendationem mirabilium Dei operum nō parum faciunt, adlaborauimus hactenus sedulo, vt peregrinas eiusmodi & exoticas historias, quib. & regionum siue locorum ratio, & incolarum mores, arborumq; & fruticum genera varia cum rebus mirabilib. aliis quam plurimis descripta continerentur, publici iuris factas, omnib. non solum legendas, sed aspiciendas et & oculis intuendas exhiberemus, progreßi in hoc labore mediante & adiuuāte nos singulari diuina misericordia, ad sextam vsque partem, quam in præsentia etiam ex Belgico sermone in vernaculum primum conuersam, indeq; latine conscriptam in lucem emittimus. Continet vero historicam descriptionem nauigationis in Guineam, Africæ regionem, quæ ante 10. vel 12. ad summum annos Batauis primum innotuit, & ab aliquo, qui ipsemet omnia præsens ibi perlustrauit, ita descripta est, vt præter itineris rationem, qua ad eam accessus patet, situm loci, formam & mores incolarum, superstitiones, ceremonias & commercia varia, cum variis fructuum & ex terra nascentium, animalium item & bestiarum generibus, quæ Regio hæc producit fouetq;, cognoscere nouitatis studiosus & admirari quam optime poßit, præsertim cum nihil in nobis desiderari paßi simus, quin omnia viuis iconibus in æs artificiosißime incisis, illustrata & condecorata oculis legentium spectanda subijceremus.

Cæterum quemadmodum superiores partes illustribus semper


à nobis personis nuncupatæ & trãsmissæ sunt, sic præsentem hanc R. V. C. patrocinio & tutelæ inscribere placuit, quod eam quoque singulari nouitatis studio teneri, & rerum exoticarum trãsmarinarumq; descriptionibus delectari non diffideremus. Historiam itaque hanc propter rerum nouitatem, raritatem & varietatem cognitu lectuq; iucundissimã simul & vtilissimam, R. V. C. vt clementi, & eo quidem animo, quo optima quæuis complecti solet, accipiat, maiorem in modum submisse rogamus, R. V. C. vitam longæuam, valetudinem stabilem, imperium pacatum, subditos felices & deuotos, deuote precantes. Francofurti ad Mœnum, Anno 1603. Idibus Augusti.


R. & Illustr. Cels. V.

humilimi Clientes

Ioan. Theodorus &
Ioan. Israel de
Bry fratres.

SEXTA






SEXTA PARS
INDIÆ ORIENTALIS.
VERA ET HISTORICA
DESCRIPTIO AVRIFERI REGNI GVINEÆ AD AFRICAM PERTINENTIS,

quod aliàs littus de MINA vocant; situm loci, rationem vrbium & domorum, portus item & flumina varia, cum variis incolarum superstitionibus, educatione, forma, commerciis, linguis & moribus, succincta breuitate explicans & exponens.

Cap. I.

DE ITINERE ET CVRSV, CVI BATAVI REGIONEM hanc petentes, insistere suis nauibus coguntur.



ANNO redemptionis nostræ 1600. ipsis Nouembris Calendis, Batauorum aliqui duabus nauibus *Guineam* siue portum de *Mina* petituri, *Texelia* soluentes, mari sese commiserunt, posteroq; die *Dunkerca* & *Greuelinga* Flādriæ superatis, *Caletum* Galliç, & ab altera parte *Dauorum*, insulamque *Wicht*, Angliæ subiectam viderunt. *Texelia.* *Flandria.* *Anglia.*

Pridie idus Nouemb. *Berlingas* ad Lysabonam assecuti, quos secum habebant nouitios & itineris eius adhuc ignaros, pro more veteri, baptizatos, nauigantium albo adscripserunt. *Berlinga.*

Cæterum 16. huius mensis die cum non procul ab insula *S. Mariæ* abesse se existimarent, velificationem vrgentes, sequenti 19. die, eleuationem 32. graduum deprehenderunt, vnde coniicere poterant, circa *Mederam* sese Insulam iam versari. *Insula S. Mariæ.*

Assecuti autem 25. huius, elauationem quam promontorium viride in Africa obtinet, 30. tandem ad gradus 8. ascenderunt. Vnde vento placido & quieto ad 25. vsque Decembris nauigantibus tandem *Guineæ* regio apparere cœpit, quam alias littus de *Manigette*, à frumenti cuiusdam genere, magna copia ibi prouenientis & ab Hollandis *Grain* appellati, vocant, vnde non exigua inter eos exorta est lætitia. *Caput viride.*

Vlterius autem progressis 26. Decembris naues duæ occurrerunt, ex societate *Balthasari de Moucheron*, Selandiam repetentes. Sequenti die nauem *Iacobi Pluyts* ad portum *Crou* offenderunt, & 28. Decembris aliam rursus, quæ sub gubernatione cuiusdam Hamburgensis, ibi deerrauerat, *Bresiliam*, Occidentalis Indiæ, petitura. Cum igitur de errore Nauarchum admonuissent, aperuit sese ipsis paulatim promontorium, quod *Des Palmas* vocant, ita vt 30. Deceb. ad eleuationẽ 4. graduũ pertingerent.

Promontorium des Palmas.

Calendis Ianuarii, Anni 1601. visum est eis promontorium *Di Trespunctas*, superato igitur sequenti die, pago *Kormentain*, tertio tandem Ianuarii ad *Mourre* ciuitatem appulerunt, vbi tres naues alias ex Hollandia, negotiationibus variis intentas offenderunt.

Promõtoriũ Di Trespunctas.

Hactenus Commemoratio fuit eorum quæ prædictis duabus nauibus in itinere *Guineam* versus acciderunt, vt autem iter hoc suscipere volentibus constaret, quis cursus seruandus, quæque tenenda itineris ratio, operæ precium facturum me existimaui, si de ductu & ratione itineris, paucula quædam hic annotarem.

Quæ itineris ratio Guineã versus nauigãtibus, tenenda.

Naues igitur quæcunque siue *Texeliæ*, siue *Roterodami* aut *Wielingæ*, vnde plerunque soluunt, ad iter hoc suscipiendum congregatæ, assumptis rebus necessariis omnibus, vt tumulos superarunt arenarios directo inter Angliam Galliamque cursu, oceanum cantabricum seu mare Hispanicum ingrediuntur, *Fortunatas Insulas* itinere compendiosissimo petentes, quibus superatis, eleuationem sectantur, quam possunt maximam, sed scaphis eas ibi & Cymbis instructas esse necesse est, quibus littus legere, & negotiationes exercere possint, Inprimis vero ad promontoriũ seu caput viride, nauiculis suis mutandi aëris & alimentorũ coẽmẽdorũ gratia appellant, Cũ optima sese ibi ad hæc omnia aperiat occasio.

Insula fortunatæ.

Recollectis aliquo modo in promontorio Viridi, seu *Cabo Verde*, viribus, inclinato nonnihil versus Affricum cursu, opera danda est, vt scopuli à dicto promontorio in mare excurrentes dextre euitentur, qui quidem, ob fluctuum & ventorum, naues ad scopulos secum ingenti molimine abripientium, vim maximam, superatu admodum sunt difficiles, & vsu venire non paucis solet, vt quo longius ab eis remotos sese arbitrantur, eo ipsis immineant propius.

Promontorium viride.

Quod si qui in littore *de Manigette* etiam negotiari & mercaturam exercere voluerint, circumnauigato colle *de Rio Grande*, cursum ad vallum seu scopulos nonnihil dirigant, & fortunam suam vel in *Sierra Leona* vel in flumine alio experiantur, quin etiam vrbes alias, quæ in littore ibi passim conspiciuntur petant, donec ad promontorium seu Caput *Des Palmas* perueniant, vbi cursu iuxta vallum seu scopulos seruato, promontorium *Di Trespunctas*, repetendum est.

Rio Grande.
Sierra Liona.

Qui vero nec circa promontoriũ viride, nec in littore *de Manigette* moras nectere, sed recta auriferum *de Mina* littus petere expetunt, superatis Fortunatis insulis velificationem austrum versus dirigant, donec relictis ab altero latere ad promontoriũ viride pertinẽtib⁹ insulis, eleuationem 10. 9. vel. 8. graduum assequantur, tunc. n. itinere ad vallum paulatim rursus inflexo, Euro affricum versus contendant. Danda est autẽ opera vt latentes ibi scopuli & Syrtes probe euitentur, si enim quis in Syrtes illas, quas sub eleuatione 6. graduũ existentes Lusitani in tabulis suis Cosmographicis, *Baixas de S. Anna* vocant, incidat, non sine multo labore, & magni temporis dispendio sese inde expediet, Experietur enim se dum euasisse

Syrtis ad S. Annam.

fisse periculum existimet, in illud vere primũ incidisse, idq; hanc ob causam, quod non æqualis earum est vbiq; constitutio & profunditas, interdum enim arenis in montem quasi attractis atq; coaceruatis, vix trium orgyarum profunditatem exhibent & vadosæ omnino existunt, mox vero arenis depulsis, profunditatem orgyarum decem & vltra obtinẽt, atque in profundum sunt præcipites, Accedit vero hoc etiam, quod ingenti fluctuum ventorumq; vi naues subinde scopulos & vallum versus ibi propellantur, vt nõ immerito periculosissima ibi videatur nauigatio.

Cæterum superatis tandem hisce syrtibus, si quis eo cursu pergat, vt gradus fere 7. in eleuatione assequatur, in nouum sese præcipitabit periculum & discrimen, tantam enim ibi tranquillitatem & ventorum omnium raritatem, mensibus præcipue tribus, Aprili, Majo, & Iunio deprehendet, vt quid agat quoue se vertat, nesciat, nam & dies 20. & amplius, Batauorũ aliqui sub dicta eleuatione frustra consumpsisse leguntur. *Tranquillitas molesta.*

Imprimis vero *Bresiliam* petituri, sibi caueant, ne vallo & scopulis modo dictis nimium coniungantur, Accidit enim non ita pridem, vt quidam naui sua sinum quem *Baio de Todolos Sanctos* vocant, petens, cum vereretur ne fluctuum vehementia abreptus, in sinum Indiæ Occidentalis præcipitaretur, in hunc locum incideret, vnde ad littus *de Manigette* remissus retromeare, coactus & cœptum iter assequi non valens, mutato tandem post magni temporis iacturam consilio, cum *Bresiliam* se iturum proposuisset, iam Insulam *S. Thomæ* petere coactus est. Difficilimá enim est & periculosissima sub hac eleuatione nauigatio, adeo vt de Hispanis Castellum siue propugnaculum circa hunc locum extruere aliquando volentibus, historiæ referant, eos quo tempore fretum magelanicum apertum primo & peruium factum est, tres menses integros sub dicta 7. & 6. graduum eleuatione, in mari oberrasse, donec morbo periculosissimo consumptis plurimis, pauci tandem siti & inedia miserrime confecti, euro aquilonis beneficio mortem euaserint. *Nauigatio difficilis & periculosa.*

Qui alias Indiæ Orientalis regiones petunt, tranquillitatem supradictam plus iusto interdum extimescunt, quamuis enim ea aliquantulum ipsis vitanda sit, vt syrtes *Bresiliæ* declinentur, modus tamen etiam seruandus, nec naues ei nimium subtrahendæ sunt, hoc enim si fiat, naues vento & fluctibus abreptæ, vel inuitis gubernatoribus suis ad promontorium, quod *Cabo Lopo Gonsalues* vocant, propellentur, vnde non nisi post multorum miliarium iuxta Æquinoctialem lineam confectorum iacturam, cœpto itineri iterum restituantur, quemadmodum non ita pridem Hollandicis quibusdam nauibus accidit, quod quidem nauigantibus impedimento solet esse non exiguo. *Tranquillitas non omnibus æqualiter vitanda.*

Superatis igitur hisce difficultatibus omnibus, vbi ad littus aliquod, puta ad promontorium *Des Palmas*, vel locum alium, delatus fueris, recollectis iterum viribus, iter iuxta vallum teneas, nec scopulis propius quam ad Orgyas circiter 28. accedas, donec promontorium, *Cabo de Tres punctas*, vulgo dictum, assequaris, quod quidem initium est auriferi littoris *de Mina*, vbi cum Nigritis siue Æthiopibus negotiationes suas exercere Batauí consueuerunt.

CAP. II.

DE PROMONTORIO VIRIDI, QVOD VVLGO CABO VERde *vocant, quomodo illud comparatum sit: qualibus populis habitetur, & qui incolarum eius loci mores sint.*

EXposita est hactenus itineris ratio quo cursu nempe & tramite *Guineam* petere, & quid periculi in itinere declinare nauigātes deceat. Iam cum ad promontorium viride, *Cabo verde* vulgo dictum, cuius eleuatio est 15. graduum, naues in itinere plerunque appellant, non abs re fuerit, quale promontorium illud sit, & qualibus habitetur populis, paucis hic etiam annotare.

Rio Senega. Cabo Verde & eius descriptio.

Superato igitur flumine seu *Rio Senega*, promontorium hoc seu *Cabo Verde* paulatim appropinquare incipit, estque cognitu non admodum difficile, si nimirum eleuationem eius probe obserues, primum enim cacumen est, colle duplici, in mari longe lateque extensum, Ab vtroque latere tam Aquilonem quam Austrum versus à continente ita discernitur, vt Austrum versus insulam quandam habeat, vbi propter auium subinde nidulantium copiam, ouorum semper aduentantibus suppeditatur ingens numerus, post insulam hanc rupes cernitur ei quidem coniuncta, sed ita tamen vt interstitium aliquod inter vtramq; relinquatur.

Pericula circa promontorium viride, quomodo vitanda.

Cæterum Insula hæc accessu formidabilis admodum est, nec facile nauigia vlla admittit, patet quidem inter eam & continentem nauibus onerum vel lastarum 160. transitus, sed periculo tamen suo, propter latentes in vndis scopulos, nunquam carens, tutius igitur est, occasum versus, ad Insulam quandam aliam cursum suum dirigere, quæ simul atque supra dictam attigeris, statim cernitur, tribus quippe miliaribus ab ea distans. Inculta ea quidem est & nullis habitata populis, quin imo nullius fere rei, præterquam lignorum & lapidum ferax, attamen cum naues facile admittat, & accessum etiam scaphis præbeat, grata est nauigantibus, qui plerunque ad eam appellunt.

Æthiopes varii linguarum periti.

Continens regio multis habitatur Æthiopibus, qui mercimonia cum omni natione exercent, vnde etiam multarum linguarum, Hispanicæ nempe, Anglicæ, Gallicæ & Germanicæ, gnari sunt, Excellunt autem potissimum in lingua Gallica, idq; propterea, quod Galli ante hæc tempora, commerciis eorum, aliis nationibus frequentius vsi sunt, quæ commercia tamen hodie fere interciderunt.

Vestimenta nobiliū in promontorio viridi.

Populus fere omnis, præterquam quod pudenda habet tenui linteolo obtecta, nudus incedit, Qui vero vel magistratum gerunt, vel nobilitate aliis antecellunt, nitidiori plerunque indumento vtuntur, & externo cultu à vulgaribus dignoscuntur facile. Amiculo enim vestiuntur gossypino oblongo, indusii muliebris formam referente, quod instar integumenti quod puluinaribus nostrates plerunq; insternunt, variis cærulei coloris lineis pictum est & exornatum, Brachijs porro & cruribus multos folliculos siue sacculos ex corio, quadrangulari forma, factos, alligatos, gestant, quibus quid inclusum habeant, cognoscere ab illis nemo adhuc potuit, monilia insuper à collo dependentia habent, dentes equorum marinorum funiculo siue chorda ad modum sphærularū precatoriarum traiectos, & orbiculis vitreis, varii coloris, quos ab Hollandis redimunt, distinctos atque exornatos, capiti vero pileum imponunt eiusdem cum amiculo siue indumento coloris atque formæ.

Mercimonia populorum ad promontorium viride habitantium.

Populus alioqui prudens est & circūspect⁹, victū ex agricultura quærit, oryza & frumento alio, q̃ Hollādi *Grain* vocant, cōtentus, opes quas possident ex pecoris habent permutatione, exiguus. n. eius prouentus ibi est & summa caritas, ast qui vlterius paulo habitāt, à mari remotiores, maxime pecoribus abundant, vnde est, q̃ nauigia sæpe integra meris boum onusta

nusta exuviis, ex *Porta dallia*, qui locus est, 7. vel 8. miliarib⁹ à promontorio seu *Cabo Verde* distãs, pro reb⁹ aliis permutãda, ad promontoriũ mittuntur.

Ferrarios ibi reperias fabros quamplurimos, tractandi & cudendi ferri peritissimos, quod etiam in magno apud eos existit precio; Inprimis vero ferri laminis in hastarum modum diductis delectantur, eius enim & in piscatura & in agricultura, magnus apud eos vsus est, quin etiam varia ex eo arma parare & conficere norunt, nempe arcus & sagittas, hamos & tridẽtes siue fuscinas, spicula missilia, item hastas & id genus alia.

Agnitionem Dei exiguam vel nullam habent, sed in ea tamẽ, qui cum peregrinis multum cõuersantur, alijs meliores existunt, cibum nacti nõ comedunt sed bestiarum more auidissime vorant, Ad furta & libidines admodum sunt procliues, Nã & viris tot habere vxores concessum, quot alere & sustentare possunt, & mulieres in venerem adeo feruntur, vt suis non cõtentæ viris, alienum subinde cubile sectentur, inprimis vero peregrinorum appetant cõcubitus, Religionem habent Mahometicæ impietati non multum absimilem, vnde circumcisione etiam vtuntur. Fallere preterea & mentiri norunt optime, vnde nihil quicquam ipsorum verbis habendum est fidei, circumvenire enim alios, laudi sibi ducunt maximæ, & datam fidem raro vel nunquam seruant. *Religio & mores populorũ ad Cabo verde habitantium.*

Terra porro ipsa ferax est fructuum variorum frugumq; & herbarum omnis generis, Dactylos enim ibi reperias, & citrea aurea Hesperiaque mala quã plurima, *Tubackam* similiter profert & oryzam & frumentum præterea aliud, quod ipsis *Manigette*, Hollandis vero *Grain* vocatur, quin & vino de palma abundat, & scaturigines iucundissimorum fontium habet quam plurimas. Reperiuntur porro ibi & pisa & fabæ, sed minori copia. At ferarum syluestrium domesticorumq; animaliũ ingentẽ ibi passim cernas frequentiam, nõ desunt enim ipsis Elephantes, Cameli, Asini siue Muli minores, simiæ terrestres & marinæ, siue cercopitheci, nõ serpentes, Erinacei: & Vaccæ nostris similes, nõ Capræ, Gallinæ, Columbæ, Ardeę, Psittaci. Quin & ingentẽ minutarũ auium habent copiã, & certis anni tẽporib⁹, Cyprinorũ siue prasemorũ, cãcrorũ & aliorũ piscium, quorũ nomina nostris nõdũ innotuerũt, maxima sese ipsis offert abundãtia. *De annona & animalibus qua ibi reperiuntur.*

Capiendis autẽ piscibus peculiaria instrumẽta adhibent; Nã & tridẽtes siue fuscinas habẽt & hamos nonnihil incuruatos, retia itẽ & fiscellas, ex viminib⁹ & arborum corticib⁹, artificiose cõtextas. Retia hęc nassarũ instar rotunda sunt, & in inferiori parte clausa siue obstructa penitus, cui impositus lapis, pondere suo illa aggrauata in profundũ mergit, Piscibus igitur ad escam, medio quasi retium loco alligatã, prosilientibus, deprehẽdentes hoc ipsum piscatores, retia marsupiorũ instar cõtracta euacuant. Nã & scaphulas habẽt seu nauiculas, quas *Canoes* vocant, ex integro arboris trũco vel stipite diligẽter elaboratas, has remis, perinde vt illi q in littore *de Mina* habitãt, sedentes protrahunt, sed remos tñ habent alia ab illorum remis forma, pars enim eorum inferior, quam palmulam vocant, orbicularis est, sed ad laborẽ tamen satis accõmodata. ¶Merces quibus negotiãtur, sunt coriũ, *Ambergris* Gumi Arabicũ, Sal, & alia eiusmodi minoris precii, vtpote oryza, *Melegette* siue *Grain*, Ebur, & Zibethi parũ. ¶Cęterũ & Lusitani hoc loco habitare deprehẽduntur, qui cũ Hispanum nõ agnoscant Dominũ, libera cum nationibus & populis aliis cõmercia tractãt, Nõ tamen dominium exercere vllum prӕterq in mãcipia & seruos suos, ipsis cõceditur. Omne.n. penes superiores & præfectos, quos pagus *Piscatio iuxta promontorium viride qualis.* *Remi à vulgaribus, forma discrepantes.* *Lusitani ad promontorium viride habitantes.*

quilibet peculiares habet, & Æthiopes *Algayeres* vocant, dominium imperiumque residet, qui simulatque naues exoticæ portum aliquem ingrediuntur, Scaphis suis aduecti, portorium expetunt, Dantur vero ipsis plerumque tres ferri laminæ, sed ab illis qui morem hunc ignorant, quantum possunt auferunt.

Portoriū ad Cabo verde.

Coloris sunt nigerrimi, sed staturæ tamen satis elegantis, Loquentes, Collum, Gallinæ Affricanæ vel pauonis Indici instar, exerunt, & voces admodum præcipitant, linguam autem peculiarem habent ex multis aliis conflatam, de qua alibi copiosius.

CAP. III.

QVAE SIT ITINERIS RATIO, A PROMONTORIO HOC VIridi vsque ad littus de Mina, & quomodo quod reliquum est itineris absoluere nauigantes rectissime possint.



IAm quæ sit itineris ratio à promontorio hoc viridi ad auriferum vsque littus de *Mina*, & quem sequi ductum iuxta littus de *Manigette* ad prædictum locum nauigantes debeant, paucis etiam annotabimus, indicatis simul præcipuis locis quæ in itinere isto nauigantibus sese offerunt, & eorum ab inuicem distantia annotata. Soluentes igitur, à promontorio hoc seu *Cabo Verde* rectissimo itinere ea loca, modo ventis non impediantur, petant, vbi negotiationes cum Æthiopibus exercere posint, Numerantur igitur à dicto promontorio vsque ad *Rio Gambra*, leucæ seu miliaria gallica, 25. inde ad *Rio grande* 30. Ad locum autem quem *Sierra Liona* vocant, 60. numerantur, qui quidem locus hybernis est aptissimus, cum in ipso littore orgyarum 5. ad minimum, profunditas reperiatur, ad portum autem appropinquantibus profunditas sese offert 16. 14. 12. 10. & 8. Orgyarum.

Rio Gambra.
Rio grande.

A *Sierra Liona*, vsque ad *Rio de Galinas*, (qui locus est à gallinis sic dictus, quibus adeo abundat, vt pro exiguo cultello gallinam accipere elegantem possis,) numerantur leucæ 40. inde vero ad promontorium vulgo *Cabo de Monte* dictum, 18. promontorium hoc montis instar eleuatū quidem est, sed regio ipsa satis est depressa, Euro austrum versus excurrens.

Sierra liona.
Rio de Galinas.
C. de Monte.

Ab hoc promontorio *de Monte*, vsque ad promontorium aliud, quod vulgo *Cabo des Baixas* vocant, numerantur leucæ 50. inde vero vsque ad promontorium *Des Palmas*, itidem 50. Et hæc quidem præcipua sunt totius littoris *de Manigette*, promontoria, quorum postremum hoc eleuationem habet 4. graduum, estque extrema totius huius littoris regio, lineam æquinoctialem versus excurrens, terra est plana passim & depressa, alicubi tamen in colles & tumulos quasi assurgens, sed montes tamen excelsos non agnoscit.

C. des Baixas.
C. des Palmas.

A dicto hoc promontorio, ad promontorium *de Trespunctas*, 60. numerantur, hoc enim recta peti solet, relicto promontorio alio, quod vulgo *Cabo de Apollonia*, vocant.

Cabo de Apollonia.

Hæc autem vt melius videas, à promontorio *de Monte*, ad promontorium *Nesurade*, 16. leucas numerari noueris, quæ regio est acuminata & eleuata. Inde ad *Rio Chostes*, 24. quo vsque terra reperitur eiiciendis anchoris satis idonea, Regio occasum versus, geminati montis instar se conspiciendam præbet, in ingressu autem fluminis *Rio Chostes*, insula est exigua, sed pagus vbi mercimonia fiunt, ab hac insula, miliari gallico vno distat.

C. de Trespunctas.
C. Nesurade.
Rio Chostes.

Hinc

Hinc ad promontorium,quod vulgo *Cabo di Baßis* vocant, leucæ numerantur 5.quod promontorium nauis instar patescit, estque ingens in mari scopulus albicans. Non procul autem ab hoc promontorio vadum est,orgyarum 35.Itaque cursus iuxta vallum tenendus est ad orgyas 32.33.&34. nec tamen propius vallo accedendum, nisi quis ad littus frumenti *de Manigette* recidere velit,ingens enim ibi fluctuum & ventorum vis existit, & periculum ab occultis scopulis non minimum expectandum est. *C. di Baßis.*

A promontorio hoc seu *Cabo di Baßis*, vsque ad *Sanguinium*, tria numerantur miliaria Gallica,ibi frumenti *Manigette* ingens existit copia,& negotiationes bonæ exercentur. Inde ad *Bosoën* vsque, miliare vnum est cum dimidio,& ibi mercatura similiter floret optime.Porro ad *Sertres*,2. & inde ad *Bottowam* itidem duo numerantur miliaria,Estque locus vterque ad negotiationes aptissimus. Iam *Synno* sequitur,locus 5. leucis à *Bottowa* distans, Inde *Seuweroboë*, 2. & *Baldoë*, iterum duobus distant, Hinc *Crou* sequitur duobus à superiori loco miliaribus,& *Wappa* quatuor à *Crou* distans. A *Wappa* ad *Granchetren* leucæ duæ numerantur, & hunc locum Galli alias *Lutetiam* vocant. Hinc ad *Coyauam*,4. numerantur,quo multum frumenti Æthiopes aduehere solent,estque locus ad negotiandum satis idoneus. A *Goyaua* vsque ad promontorium seu *Cabo de Palm*, miliaria Gallica numerantur tria Et hæc loca omnia in frumenti littore cernuntur,quod alias vocant littus *de Melegette*, à regno *Melly*,quod hisce terminis continetur. *Sanguin.* *Crou.* *Lutetia.* *Melegette.*

Regnum hoc *Melly*, aliud adhuc sibi inclusum habet quod *Bitonin* vocant,& in *Rio Chostes* terminatur, Estque potentissimum & frumenti feracissimum, Abundat & Gossypio, & carnibus, Elephantes alit quamplurimos, & Ebur præstantissimum suppeditat. Incolas habet crudeles admodum & feroces, qui in id intenti sunt vnice, vt peregrinos, commerciorum exercendorum gratia eo aduectos, circumueniant, opprimant, interficiant.Interim tamen non vno erga nationes omnes sunt animo, Gallos enim maiori beneuolentia complectuntur, quam Lusitanos, vnde etiam his illos frequentiores ibi invenias. Germanis non vbique similiter fauent,idque sua ipsorum culpa factum est,cum dolose admodum cum illis alicubi egerint,& fraudem animaduertere Æthiopes tandem cæperint, itaque vindictæ cupidi, vt sese vlciscerentur, modis omnibus adlaborarunt. *Melly Regnum & eius descriptio.*

Commercia ipsorum sunt frumentum quod Hollandis *Grain* dicitur, Oryza & Ebur, sed Oryzæ exigua hisce temporibus ibi reperitur copia, itaque Eboris & frumenti *Grain* potissima iam ibi fieri solet permutatio. Quod attinet refectoria alia, quæ ad conseruationem & reparationem virium humanarum faciunt,eorum defectus ibi nullus est. Quin & vinum *de Palma*, quod ex arboribus colligitur tantæ ibi generositatis est, vt sapore & præstantia cum aliis id genus, certare facile possit. *Commercia in regno Melly.*

Populus alioqui Regibus & præfectis suis, quos *Taba* vocant, subiectissimus est, & ad perficienda mandata eorum promptissimus, ipsi autem Reges & præfecti in pagis passim constituti, autoritatem suam egregie conseruare norunt, rigidissimi enim sunt mandatorum exactores, & erga subditos seuerissimi. Lingua non vbique est eadem, variatur enim ratione populorum quibus cum crebro negotiantur, sic enim

eum

cum Galli quibusdam in locis frequentes sint, linguam illorum paulatim apprehenderunt, & iam cum vernacula sua varie commiscent. Idem vero & populi ad auriferum *de Mina* littus habitantes hodie faciunt, qui etiam Lusitanica interdum vtuntur, quam ex assidua cum illis conuersatione vtcunque apprehenderunt.

Agriculturæ sunt peritissimi, vnde frumentorum maxima apud eos fiunt commercia. Sed & artifices apud eos mechanicos, reperias quam plurimos, qui in arte sua satis excellunt. In primis vero *Canoës* siue Scaphas quibus in mari vtantur, parare norunt optime, ex arbore scilicet excauata eas in extremitatibus nonnihil incuruantes, vt Venetorum Gundelas siue Cymbas referant.

Zelotypia virorum erga vxores.

Viris tot habere vxores permissum, quot alere & sustentare possunt, sed nimis erga eas rigidi sunt, & ingenti eas zelo prosequuntur, vnde si forte deprehendant aliquam pudicitiæ limites trãsgressam esse, tanta in autorem huius flagitii Zelotypia feruntur, vt ingentes turbas dare, & non familiam solum vniuersam, sed & ciuitatem sæpe integram turbare non dubitent. Non est igitur quod quis existimet mulieres hoc loco, vt alibi passim esse communes.

Littus eburneũ.

Cæterum superato promontorio siue *Cabo des Palmas*, flumina sese aperiunt varia, vbi si quis ebore delectetur, commercia eius inueniet optima, eo enim regio hæc maxime abundat, quæ ad promontorium vsque quod *Cabo de Trespunctas* vocant, extenditur, & ab ebore, littus eburneum vocatur. Littus hoc multis pagis conspicuum est, quorum incolæ in negotiationibus aliis sunt meliores & candidiores, idque propterea, quod mercatores peregrini raro suis nauibus ad eos appellant. Littus hoc mittendis anchoris commodius est priori, & profunditatem passim habet orgyarum 20. Populus est parandi vestes gossypinas peritissimus, quas magno numero in aurifero *de Mina* littore diuendunt, magna enim cũ Guineensibus exercere solent cõmercia. Reperitur interdum & aurum apud ipsos, sed rarius & exigua quantitate, vnde & in magno apud eos precio esse cœpit & plerumque à mercatoribus pro mercibus suis expetitur.

Achombene.

Aziem.

Superato promontorio, quod vulgo *Cabo de Apollonia*, vocatum, intermedium est inter promontorium *des Palmas*, & promontorium *de Trespunctas*, offert sese exiguum Castellum seu propugnaculum, quod Lusitani possident, in pago qui vocatur *Achombene* situm. Propugnaculum vero ipsum *Aziem* dicitur, & 5. milliaribus Gallicis à promontorio *de Apollonia* abest. Pagus iste multis etiam habitatur Aethiopibus, sed qui ex mandato Lusitanorum, cum Hollandis conuersari, aut naues eorum ascendere non audent.

Hæc igitur duorum littorum descriptio fuit, quorum alterum à frumenti, alterum ab eboris abundantia nomen apud Hollandos inuenit, iam quod ab auro cognominatur, littus *de Mina* sequitur in ipso *Guineæ* regno, quod longe se lateque extendit, nam ad miliaria gallica 500. quæ apud Germanos 400. fere faciunt, excurrit, facto nimirum initio à *Rio de Benin*, vsque ad regnum *Melly*, de quo supra dictum est. Nam etsi regna quædam intermedia reperiantur, tamen cum parua sint, & potentiæ admodum exiguæ, magno huic *Guineæ* regno non immerito adnumerantur.

CAP.

CAP. IIII.

DE SECVNDA ORBIS TERRARVM PARTE AFRICA nempe, ad quam hoc Guineæ *regnum pertinet.*

AFRICAM ab *Afro*, filio *Madian*, qui vnus ex posteris *Abrahami* fuit, nomen suum accepisse, *Iosephus* autor est, sonat vero idem, si significationem nominis scruteris, atque regio sine frigore, quod expers plane sit frigoris, Regio est vasta, & plerunque non nisi in littore maris habitata. Orientem versus, ab Asia, mari rubro & indico separatur, quibus etiam meridiem versus terminatur. Occidentem versus, Oceanum magnum habet, Ad septentrionem vero, ab Europa, mari mediterraneo disiungitur. A veteribus in multas distributa fuit prouincias, recentiores vero 4. tantum agnoscunt, quæ sunt, *Barbaria*, pars Septentrionalis *Lybia*, pars Occidentalis, *Numidia* pars Orientalis, & *Æthiopia*, in qua *Guinea* regnum situm est, de quo in hoc tractatu nobis erit agendum. In medio, vt plerique volunt inculta est propter æstus, omnia exsiccantis & comburentis vehementiam, Abundat autem Crocodilis ex Nilo ascendentibus, & aliis feris bestiis quamplurimis, tametsi animalibus etiam aliis, quæ ad sustentationem hominum faciunt, non destituatur, de quibus suo loco.

Africa vnde dicta.

Eius fines.

Prouinciæ seu partes.

Pertinet porro ad *Africam*, & *Ægyptus* & *Abyssinorum* regnum, quod Regionem *Preto Ioannis*, vulgo nominant. In *Barbaria* autem quatuor regna sunt, *Mauritaniæ* nimirum regnum, quod *Maroco* dicunt, Regnum *Fesanum*, Regnum *Tunetanum*, & *Algiera*, siue *Congo*, sed incolæ huius partis, albi sunt coloris, & terram tenent fertilissimam.

Barbariæ regna.

Præter hæc regna multas etiam Insulas Africa agnoscit, vt sunt *Canariæ*, alias *fortunatæ*, quod nominis propter insignem & incredibilem fere fertilitatem obtinuerunt, Nominantur vulgo, *Medera*, *Palma*, *Ferro*, *Teneriffa*, *Gomera*, *Canaria*, *Forteventura* & *Lansarotte*, sitæ sunt omnes in parte occidentali, & Hispanum, Dominum agnoscunt.

Insulæ Canariæ.

Insulæ quæ ad promontorium viride seu *Cabo Verde* pertinent paulo sunt inferiores, sed non eiusdem cum fortunatis, præstantiæ, salis tamen admodum feraces sunt, vnde ab Hollandis salis Insulæ, vel Insulæ salsæ dicuntur. Apertæ sunt primum Anno Christi 1472. à Lusitanis, quibus etiamnum habitantur, Recensentur autem decem numero, *S. Iagonis* *S. Antonii*, *S. Luciæ*, *S. Vincentii*, *S. Philippi*, *S. Nicolai*, Insula *alba*, Insula *Salis*, Insula *de Mays*, & Insula *de Fogo*, quæ omnes, cum excepto sale, nihil fere proferant, nullius æstimantur precii.

Insulæ Promontorij viridis, vulgo salsæ.

Præterea in mari Æthiopico ante paucos annos, tres adhuc Insulæ repertæ sunt, quæ antea quidem incultæ, iam à Lusitanis excoluntur & habitantur. Sitę vero sunt sub linea æquinoctiali, & prima quidē *S. Thomæ* nomen inde obtinuit, quod ea die quæ Apostolo *Thomæ* Sacra est, inventa fuerit.

Insula S. Thomæ.

Fama est, eum, qui in hanc Insulam veniens, iustam staturam suam nondum assecutus sit, ita manere, nec quicquam amplius proficere, & cadauer aliquod seu corpus mortuum, spacio 24. horarum, nimio telluris calore putrefactum consumi. Locus existimatur omnium insaluberrimus, qui aërem habeat nocentissimum. Qui ibi habitant Lusitani, nigris Æthiopum vxoribus vtuntur, Europeas enim mulieres lo-

cus iste non patitur, neque enim diu superstites ibi esse possunt, sed statim muliebri morbo, quem menstruum vocant, correptæ, intereunt. Interim tamen insula fertilis est, Saccharum & fructus alios proferens.

Insula Del Principe. Altera nomen *Del Principe* inde obtinuit, quod à quodam principe Lusitano aperta fuerit, distat à priori non amplius 5. miliaribus Gallicis Septentrionem versus, sed multo tamen salubrior illa existimatur, Saccharum suppeditat & *Tubackam* fructusque alios, quin & Zingiberis parum, & arborem habet, cuius pars ima crassitiem 24. Orgyarum assecuta, dicitur.

Insula formosa. Insula tertia, *formosa* dicitur, vel Insula *de Fernando poo*, quod fuit nomen nautæ illius, qui primus eam aperuisse dicitur, Verum an à Lusitanis quoque habitetur, & an vt præcedentes fructifera sit, est quod dubites, præsertim cũ ferocissimi ibi & truculentissimi Nigritæ ἀνϑρωπόφαγοι inveniri dicantur.

Cap. V.

DE MATRIMONIIS, QVOMODO ILLA IN HOC REGNO contrahantur, & quid dotis parentes liberis suis ad matrimonium aspirantibus, dare soleant, tam ex parte Sponsi, quam Sponsæ.

QVEMADMODVM Deus absoluto creationis opere, & primo homine, tanquam Domino & gubernatore rerum omnium formato, de conseruatione statim & propagatione humani generis cogitans matrimonium instituit, sic rectissime initium huius libri inde me facturum arbitror, sine quo nulla possessio & creaturarum homini divinitus commissarum gubernatio constans & diuturna esse potuit, cum matrimonium prius in mundo esse, necesse fuerit, quam vel dominium vel possessio vlla & gubernatio creaturarum salutaris & legitima cerneretur.

Parentes filiis suis de vxore prospiciunt. Filiis igitur in hoc regno adolescentibus, & eam ætatem attingentibus, quæ contrahendo matrimonio apta est, parentes de puella quadam ipsis coniungenda, cogitationem suscipiunt, Eorum enim est, de vxore filiis suis prospicere, vocata igitur puella quadam, quam conuenire filio suo arbitratur pater, eam sine præmissa vlla sollicitatione, filio adducit, qui vxorem etiam eam licet ignotam, qua cum verbum antea nullum fecerit, habere cogitur. Nihil autem ei dotis nomine largitur pater, sed nudum plane eum à se dimittit, nisi forsitan in iuventute sua, vel piscatura vel labore alio aliquid acquisierit & sibi comparârit, hoc enim iam subsidium accipit, vnde rei familiaris faciat initium.

Dos sponsa. Sponsæ autem parentes, filiæ suæ tantum auri, dotis nomine largiuntur, quantum 14. florenorum precium apud nos æquare possit, vel si ditiores paulo aliis, & melioris fortunæ parentes sint, pater quidem filiæ, vnum cum dimidio, mater vero dimidium *Peso* auri, dotem assignant, quod omne semunciam vel circiter apud nos efficit. Hoc vero eis aurum eum in finem tradunt, vt de vino ad nuptias & sponsalia necessario sibi prospiciant, cum in iuventute sua nihil lucrari vt masculi potuerint, & à parentibus quæ necessaria ipsis fuere,

semper

ſemper acceperint. Et hæc quidem conſuetudo apud ipſos plane inualuit,ita vt nihil amplius filiabus in dotem aſſignetur,licet vel regia ſtirpe, ſit prognata, excepto,quod Regum liberis mancipium aliquod adiungitur, cuius opera in re familiari & domeſtica poſtmodum vtantur.

Atque hæc iam vxor iſtius viri iuuenis habetur,quæ in præſentia conſanguineorum cognatorum & familiarium omnium,qui ad nuptias honoris ergo conuenerunt, iureiurando ſeſe viro iſti aſtringit, quod pudicitiam viro illibatam conſeruare,& nemini præterquam huic viro copiam ſui facere velit. Eiuſmodi autem iuramentum à viro non requiritur, ipſe enim ab eo plane liber & ſolutus eſt,ſi vero poſtmodum contingat, vt mulier durante matrimonio huius iuramenti immemor, limites pudicitiæ transgrediatur, permiſſum eſt viro, eam, ſiue volens, ſiue coacta id fecerit,repudiare,& ea dimiſſa vxorem aliam ducere. Qui vero huius flagitii reus eſt, Regi 24. *Peſos*, hoc eſt pro noſtræ monetæ ratione, marcam cum vncia vna,auri puri,pœnæ vel mulctæ nomine ſoluere tenetur. Quod ſi autem cum peregrino aliquo rem habuerit, ipſe quidem,quod ignorarit eum in matrimonio viuere, pœna hac non tenetur,ſed ea tamen in mulierem recidit, quæ proprio ſuo viro 4. *Peſos* auri, ob violatam fidem ſoluere cogitur,ni repudiari ab eo ſtatim velit, nec refert ſiue lucri quid inde perceperit ſiue non, niſi enim pœnam hanc marito perſoluat, & ipſe de ſuo iure non lubens recedat reſciſſa matrimonii copula,aliam ducere vxorem poteſt.

Iuramentũ pudicitiæ.

Adulterij pœna.

Quod ſi ſuſpicio quidem adſit violatæ pudicitiæ, mulierem tamen nemo ad virum hoc nomine deferat,ipſe vt ſuſpicione liberetur, allato ſale & potu quodam, in nomine *Fetiſſos*, quod Numen gentis iſtius eſt, iurare, & ſceleris ſeſe obiecti purgare,vxorem iubet,quæ ſi rea ſit & male ſibi conſcia, ne attingere quidem quod propoſitum eſt, audet, iram nimirum Numinis ſui *Fetiſſo*,metuens, à quo periurium illud ſubitanea morte vltum iri ſtatuit,itaque veritas hoc modo, facile deprehenditur, & mulier vel ſuſpicione liberatur,vel ſceleris rea, repudiatur.

Pudicitia in muliere quomodo probetur.

Hæc autem omnia ex ingenti zelo & amore quo Viri erga vxores ſuas legitimas & primas flagrant, oriuntur, ſi enim contingat vxorem eiuſmodi primam, pudicitiæ limites transgredi, maxima viro ignominiæ nota inuritur,& ipſe omnibus contemptui eſſe incipit,vnde ſæpenumero contentiones,iurgia & cædes exiſtunt,vnde etiamſi qui ſceleris eiuſmodi reus deprehenditur,mulctam Regi perſoluat, vir tamen inſtare & perſequi ipſum tamdiu poteſt, donec ſolum vertat & alio concedat.

Cæterum viuentibus ipſis in matrimonio, ſi virum diteſcere, & tantum ex negotiatione & commerciis ſuis lucrari contingat, vt aliam adhuc vxorem alere poſſit,non licet tamen ei ſine prioris conſenſu ſecundam ducere, At ea conſentiente,datur ei poteſtas aliam ducendi,dummodo priori certum auri pondus perſoluat, & poſteriorem non pro legitima,ſed pro *Etiga fori*,hoc eſt pro concubina & vſuaria vxore habeat, eamque in amore priori non præferat. Eiuſmodi vero mulieres communes ſunt,& omnibus ſui copiam libere facere poſſunt, nec eſt quod quiſquam metuat, ſe ob facinus cum tali muliere commiſſum, pœnam incurrere poſſe.

Viris vxorem aliam ducere quando licet.

Cum autem vir animaduertit, priorem ſuam vxorem,ingraueſcente iam ætate, Venere non admodum delectari,relicta ſtatim illa ad iuniorem ſeſe applicat,cuius impoſterum amore fruatur. Cæterum priorem

Quæ ſit conditio mulierum ſenio confectarum.

quidem à se non dimittit, sed ad dies vitæ in ædibus secum retinet, cogitur autem curam habere rei familiaris, iuniori inseruire, de cibo & potu ei prospicere, & vt viro suo placeat, modis omnibus adlaborare.

Cap. VI.

DE REI DOMESTICAE ADMINISTRATIONE, puerperio & infantulorum recens natorum cura.



Cvm viro liceat, consentiente vxore prima, plures superinducere, tot nimirum quot sustentare & alere facultatibus suis potest, sciendum est, mulieres eos eiusmodi subinde assumere, quæ non eiusdem ætatis sed diuersorum annorum sint, ita vt altera alteram ætate superet, aliaque aliam subleuet, ne voluptati & libidini viri quicquam decedat, nec vnquam desint, quæ obsequia sua viro præstent. Qualibet autem harum mulierum peculiari habitat tuguriolo, ab alijs separata, licet vel decem essent numero, quod sæpenumero etiam vsu venisse comperimus. Pecunia omnis vxoribus committitur, à quibus viri petere coguntur, quantum volunt. Non vescuntur vno & eodem cibo, nec etiam mensa ipsis eadem est, sed quælibet suo cibo seorsim fruitur, Et viri quidem cum sociis suis, quibus cum negotiantur, cibum capiunt. Vxorum autem quælibet cum parentibus vel vicinis suis, conferentes nimirum in vnum quicquid habent, suauiter epulantur, idque vesperi plerunque vt eo commodius postmodo dormire possint.

Habitatio mulierum.

Mensa.

Peractis comessationibus istis ad somnum sese componunt, idque seorsim storea siue stragulo iunceo, humi strato, & sella lignea, puluinaris loco, capiti subiecta, parato autem leui igniculo pedes applicant, vt quicquid vaporum & frigiditatis ex terra per diem integrum, nudis pedibus ambulantes, collegerint, igne isto inter dormiendum iterum extrahatur, quod quidem sanitati admodum conuenire iudicant. Cæterum viro in venerē exardescente, vocat vel ipsemet adducit ex vxoribus eam, qua maxime tum delectatur, atque ita concumbunt, & noctem istam hilares transigunt, qua peracta, ipsa habitationem suam tacita repetit, neq; enim gloriari de viri sui benevolentia, vel aliis quod hac nocte virum suum habuerit prædicare & commemorare audet, ne in odium reliquarum incurrat, & invidiam sibi ipsi conciliet maximam.

Lectus.

Iam vero muliere aliqua grauida facta, cum hora pariendi infantem advenerit, ingens ad eam fit concursus virorum, mulierum, iuvenum, puellarum & virginum, Absque omni enim pudore & verecundia, spectantibus passim omnibus, fœtum in lucem proferunt & enituntur, qua de re plura referre aures pudicæ & piæ non sinunt, Nato autem infante, mater statim ad fluvium aliquem properat, vt se ibi purget & sordes abluat, quod enim in nostris regionibus moris est, vt puerperæ mulieres sese per septimanas aliquot domi contineant, & donec vires iterum recolligant, sibi à muliere aliqua conductitia, probe ministrari sinant, de eo ipsæ nihil omnino norunt. Edito enim in lucem infante, mulieres statim egrediuntur, & assumpto tantum potu aliquo, quem ex oleo & frumento quod *Manigette* vocant, parant, ad operas & negotia domestica

Partus siue puerperium.

mestica reuertuntur, perinde ac si nihil ex puerperio percepissent doloris, vnde apparet fortioris naturæ & complexionis eas esse, quam quas Europa nostra profert mulieres.

Postea nomen infantulo recens nato pro libitu suo imponunt, additis multis coniurationibus *de Fetisso* suo. Quin & circumcisionem certo tempore adhibent, tam fæmellas quam masculos circumcidentes,& in lætitia, comessando & potando diem istum transigentes. *Circumcisio infantiu.*

Quam autem inverecundæ mulieres sunt inter pariendum, tantus contra in viris pudor conspicitur, ipsi enim per tres menses integros, à Commercio & consuetudine mulierum, post puerperium abstinent, quamuis eos non tam ex pudore & verecundia, quam ex consuetudine illud facere existimem, cum præter vnam, plures adhuc alias habeant. *Virorum abstinentia.*

Cæterum involutum fasciis infantem, super stragulum aliquod iunceum, cunarum vsum plane ignorantes, in terram collocant, vbi infans sese vertat & revertat pro libitu, Bimestrem autem vel trimestrem factum, mater linteo à collo dependente imponit, atque ita in tergo, secum, quocunque vadit, circumfert, pari propemodum ratione, qua mulieres militiam apud nos sectantes, infantulos gestare conspiciuntur. *Cura infantum.*

Plorantibus vero & potum appetentibus, mater mammarum alteram in humerum eleuatam præbet, qui à tergo eam apprehensam sugunt, atque ita nutriuntur tergo insidentes, matre interim negotiis suis intenta, & infantem suum ne attrectante quidem, qui in vehementiori motu, matre nempe cursu celeriori progrediente, ita concutitur, vt capite infantis super humeros matris prominente, horrendum præbeat aliis spectaculum, & mirum sit, eos saluos & incolumes euadere, Et tamen læsos ibi non vsque adeo multos videas.

Mature autem admodum ambulare infantes discunt, idque inde fieri autumo, quod humi iacentes, serpere paulatim incipiant, donec in pedes eleuati, gressus figere, atque ambulare tandem discant. Sed & loqui tempestiue incipiunt, ita vt multos videas qui annuo spacio & ambulare & fari didicerint, ita vt ab aliis in lingua sua materna intelligantur, exemplo longe à nostræ regionis infantibus dissimili. *Infantes ambulare & fari mature discunt.*

Cap. VII.

DE EDVCATIONE ET DISCIPLINA LIBERORVM, *Quomodo nimirum eos educatos, instituant, & quam parentes adhibere disciplinam soleant.*

INFANTES porro aliquot septimanarum, reticulo, in formam indusii cuiusdam puerilis ex arborum corticibus contexto, & multis coniurationibus *de Fetisso* suo, instar bullarum aurearum, exornato, induunt, multisq; ex conchis marinis factis orbiculis, manus, pedes & colla eorum exornant, idq; non sine superstitione. In ea enim sunt opinione infantes reticulo tali indutos liberos esse & immunes à potestate Diaboli, à quo, hoc sine reticulo si essent, facile apprehensi abducerentur, cum enim per ætatem sese ab insultu Dæmonis tueri non possint, aperte profitentur eos beneficio huius indumenti, tutos ab omnibus eius insidijs reddi. *Quomodo infantes muniantur adversus Diaboli iniurias.*

Quomodo infantes ab omnibus incommodis reddantur immunes.

Orbiculos autem manibus pedibusque circumdatos & de collo suspensos, pluribus incommodis conuenire arbitrantur, quosdam enim vomitum & singultum impedire, quosdam à lapsibus eos prohibere, ne cadentes lædantur, quosdam profluuio narium conuenire, quosdam somnum eis conciliare, quos propterea etiam vesperi ipsis alligant, alios arcendis venenis prodesse, & ne ex infecto forsitan aëre morbum contrahant prohibere, dicunt. Itaque huiusmodi orbiculos siue vt ipsi vocant, *Fetissos*, habent quamplurimos, certis nominibus secundum virtutem & efficaciam qua singuli pollent diuersam distinctos. Nam & fiduciam suam omnem in eis collocant, ita vt huiusmodi ornatos orbiculis, ab omni incommodo, & ab omnibus fortunæ casibus, quibus puerilis isthæc ætas exposita potissimum est & subiecta, omnino sibi persuadeant tutos fore.

Quo cibo infantes vtantur.

Iam quod ad educationem liberorum attinet, educantur illi & nutriuntur eodem crasso cibo quo parentes etiam vescuntur, nam ablactatos & à lacte depulsos, quod mature admodum fit, matribus natis suis lac præbere recusantibus paulatim ad crudum & crassum istum cibum, assuefaciunt, potus vero nil nisi aquam ipsis præbent, cumque vesci eiusmodi cibo didicerunt, nullam eorum rationem amplius habent, sed abiectos humi serpere, & quicquid inveniunt porcorum instar absumere sinunt, quæ etiam causa est quod tam mature ambulare & gressus figere discunt. Quælibet autem mulier suos retinet secum liberos, & liberi singuli cum matre sua manent, donec per patrem vel vendantur, vel laboribus & negotijs adhibendi auocentur, vsu enim venire haud raro solet, quod maritus liberos matri ereptos, in seruitutem redigens pro certo precio diuendat.

Color iuuenilis.

Cæterum cum iam succreuerint parum & ire inceperint liberi, fluminibus sese statim committunt, vt aquæ assuescant, & natare discant, Nec vero ab initio natiuitatis plane nigri, sed phænicei & ex rubedine nigricantis sunt coloris, Bresilianis similes, atqui progressu temporis colorem paulatim mutant, donec in fuligineum plane & piceum transeat.

Disciplina puerorum.

Interim in omni adolescunt nequitia, & barbarico more pueri & puellæ mixtim invicem colludunt. Parentes quidem interdum irati grauiter eos corripiunt, baculis femora eorum ita ferientes, vt mirum sit eos plagis non succumbere, sed rarius tamen & non sine graui causa in eos animaduertunt, vnde fit quod filii leuissime de ipsis sentiant & autoritatem eorum nullo modo vereantur, quid enim metuant, cum non nisi graui causa præcedente, vix verbis, levissimè, idq; perraro, corripiantur, institutionis autem & ad virtutem exhortationis nihil audiant, instar ferarum arborum in malitia succrescentes.

Quomodo filij ad laborem assuefiant.

Elapsis autem puerilibus annis, illisque in omni nequitia consumptis, cum decimum vel duodecimum ætatis annum attigerunt, incipiunt tandem parentes eos admonere, vt aliquid conentur, & laboribus vel negotiationibus manum admoueant, & principio quidem filii ex institutione paterna, discunt ex arborum corticibus fila ducere, & retia contexere, postea cum patre nauiculam ingressi, piscatũ in mare ascendunt, vt rationem gubernandi scaphulas aliquo modo apprehendant, qua postmodo percepta, ipsi assumptis tribus vel quatuor pueris alijs, vt artem exerceant, quotidie piscatum egrediuntur, parentibus suis domum afferentes quicquid ceperint, vt eo vescantur.

Deci-

Decimum octauum porro vel vigesimum vbi ætatis annum attigerint, negotiationibus propriis vacare incipiunt. Relictis igitur paternis ædibus seu tuguriolis potius, de habitatione sibi conuenienti ipsimet prospiciunt, emptaque vel conducta sibi scapha, piscaturam exercent, vtentes ad hanc rem famulitio aliquot mancipiorum quæ in habitationem suam recipiunt. Quicquid autem capiunt, in foro publice diuendunt, reseruato tamen sibi quantum in vsus quotidianos satis esse arbitrantur, pro pecunia autem ista ex piscibus lucrata, primo omnium, linteum sibi emunt, quo pudenda & obsceniores corporis partes tegant, verecundiæ nonnihil studere tum incipientes. *Quomodo commerciis paulatim assuefiant.*

Sed & mercatoribus sese postmodum adiungunt, nauicularіam scilicet facientes, & eos scapha sua ad naues peregrinas perducentes, donec tandem aliquantulum auri lucrentur, & negotiationibus siue commerciis ipsi etiam paulatim assuescant. Cum igitur parentes animaduertunt eos aliquid lucrari, & iam commerciis operam dare, de vxoribus ipsis tempestiue prospiciunt, tradita ipsis in matrimonium puella aliqua, vt supra à nobis dictum est.

Cæterum quod ad puellas attinet, ipsæ ad laborem paulo tempestiuius assuefiunt, statim enim in pueritia sua sportulas, storeas, stragula, pileosque ex iunco seu scirpo viridi contexere discunt, præterea vittas etiam & loculos aliaque vestimenta & indusia infantibus conuenientia ex corticibus arborum, artificiose texere & concinnare student, quæ omnia vario colore postmodum illuminata & picta omnibus grata reddunt & accepta. Quin & frumentum molere, farinam subigere, & panes pinsere solent, quos postea in foro publice diuendant, pecunia matribus suis domum allata, vt cibum & quæ necessaria sunt alia inde redimant. Quicquid enim lucrantur puellæ, id omne matribus cedit, quæ postmodum, in dotem eis aliquid inde largiuntur, cum viro alicui nubentes matrimonium contrahunt. Et hac quidem ratione puellæ à pueritia sua exercentur, & ad laborem operasq; domesticas assuefiunt, vnde postmodum rei familiaris & domesticæ administrandæ peritissimæ euadunt, vti familiæ præesse & viro satisfacere, modo quidem apud ipsos vsitato, sufficienter & abunde possint. *Quæ sint puellatur exercitia.*

CAP. VIII.

DE VIRORVM IN HIS REGIONIBVS PROPORTIONE, statura & colore.

VIri harum regionum, proportionis sunt & staturæ elegantis satis & decentis, pedibus sunt aliquantulum fortioribus, reliquis autem membris tenerioribus, quemadmodum hoc ipsum omnium oculis patet qui in hoc quidem regno commercia exercēt, vbi plerunq; nudi incedunt. Facie sunt rotunda, nō vsq; adeo vel longis labiis vel crasso ore, vt Æthiopes in Barbaria habitantes, sed naso simo, hūc enim in pueritia sua, cartilagine ista adhuc molli & tenera existente, ita deprimendo efformant, inter insignia ornamenta id habētes. Hoc autem excepto vnico, nihil in facie eorum indecens est & reprehendendum. Est enim ea, proportioni corporis per omnia conueniens. Aures habent paruas & tenellas, oculos albicantes, supercilia *Virorum proportio bona.*

crassa,

crassa, dentes albos, & instar Eboris preciosissimi nitentes, Eos enim ab omni immundicie diligenter conseruant, fricando subinde & terendo eos certis lignis in hunc vsum peculiariter constitutis, ex qua frictione nitorem induunt eboris instar pulcherrimum.

Dentium albedo quomodo paretur.

Barbæ parum habent, videas enim vel trigesimum ætatis agentes annum quorum genas vix lanugo vestire cœpit tenerrima. Humeros latos habent, brachia crassa, manus robustas, digitos oblongos, quorum vngues crescere & prominere sinunt, vt longitudinem satis magnam assequantur, & vel articulos digitorum interdum superent, decori eos habentes maximo, ita vt quo se quis præstantiorem & nobiliorem alijs existimat, eo vngues in digitis habeat magis prominentes, quos etiam à sordibus diligenter vindicant, subinde eos fricantes & teretes, vt vel eboris nitorem induant. Sunt autem mercatoribus potissimum, magno interdum vsui, si enim forte accidat, vt in ponderando auro occupati, trutinas & lances implere subito cogantur, & vero cochlearia in hunc vsum parata, secum non habeant, vnguibus eorum supplere defectum possunt, videas enim semunciam sæpe pulueris aurei, eos vnico digito ex sacculis suis proferre.

Vngues prominentes in digitis.

Cæterum corpore non sunt vsqueadeo vasto & magno, sed tibiis sunt & Cruribus oblongis, pedibus vero latis, qui digitos habent nostris paulo longiores. Capillum in capite habent crispum & asperum, at in reliquo corpore pilos vel nullos vel admodum raros invenias, cutem autem per vniuersum corpus obtinent teneram mollemque & planam, quæ nullis cicatricum protuberantiis deformata est, cum nullis secturis fissurisq; vt Æthiopes alii, vtantur. Coloris sunt in vniuerso corpore nigerrimi, præterquam in volis manuum & plantis pedum, ibi enim cutis apparet albicans.

Coloris mutatio in viris, ob ætatem.

Circa annum ætatis 30. in optimo sunt statu, ast vbi 70. vel 80. ætatis annũ attigerint, nigredine paulatim remittente, fuscus iam vel subflauus in ipsis color, & cutis non glabra amplius, sed flaccida, & instar corii Hispanici corrugata cernitur.

Cap. IX.

DE INGENIO, SAGACITATE ET ALIIS VIRORVM IN hoc regno nec non de virtutibus, fastu & insolentia eorum.



VIri omnes habent proprietates, quibus virum cordatum, circumspectum & prudentem ornatum esse cõuenit, quemadmodum enim viribus pollent & brachijs pedibusque sunt robustioribus, sic etiam ad laborem non inepti, ingenio sunt & intellectu optimo, & facile quod vel semel saltem viderunt apprehendentes imitari & æmulari non infeliciter conantur. Visu valent acutissimo, longius enim & citius faciliusque naves in mari procul advenientes, ipsis Batauis animadvertunt.

Ingenium virorum.

Prudentes similiter sunt, & mercaturæ peritissimi, cum enim indies eam magis magisque exerceant, fit vt vel ipsis etiam Hollandis meliores existant, superare vero populos alios facile possint, cum non solum ingenio ad emendum & vendendum bono sint, sed etiam cognitionem habeant & notitiam mercium atque bonorum quæ eo portari solent optimam.

Prudentia & mercaturæ peritia.

Com-

Complexionis præterea ſunt & naturæ fortiſſimæ, ſtomachum habentes calidiſſimum qui dapes non craſſas tantum ſed crudas etiam concoquere quam celerrime poteſt, qua de re plura ſuo loco dicentur. Sed invidia laborant & odio invicem maximo, conceptamque ſuam iracundiam probe diſſimulare & aliquot annis abſcōdere poſſunt, Quin & ſuperſtitionibus ſunt deditiſſimi, & oleum de palma, quo ſe ſubinde inungunt, olent grauiſſime, interim autem corpus ſæpe lauant & vndis abluunt, cum à pediculis, pulicibus, & inſectis aliis ſeſe vindicare ratione alia non poſſint. *Cōplexio & tēperamentum.*

Ob partes corporis nudas non facile erubeſcunt, nihil enim turpe & fœdum in corpore humano arbitrantur, ſed turpe admodum & ignominioſum putant, crepitum ventris, præſentibus aliis emittere, adeo vt mortem potius oppetituri, quam tam fœdum quid & abominandum perpetraturi ſint, vnde non ſatis ruſticitatē & impudentiam noſtratium mirari poſſunt, qui præſentibus aliis tale quid committere, & auras fœtidiſſimis inficiare odoribus ſæpe non verentur. *Pudor & verecundia.*

Veſicam exonerantes, porcos propemodū noſtrates imitantur, non enim vrinam reddere continuam poſſunt, ſed eius fluxum, porcorum inſtar ſubinde interrumpunt.

Auari ſunt admodum & cupidi, & inter mendicantes etiam non poſtremi, quamuis autem alias tenaces ſint admodum, & nemini quicquam de ſuo facile communicent, tamen quod mendicando acquiſierunt, ſoli non abſumunt, ſatis liberales de alieno. *Mendicitas & avaritia.*

Salaces admodum ſunt & luxurioſi, libidineque vel toti diffluunt, vnde morbo gallico nihil apud eos frequentius exiſtit, quem tamen abominandum nullo modo cenſent. *Libido.*

Vino maxime deditiſunt, nec temperare ſibi ab eo vlla ratione poſſunt, quemadmodum ſimiliter etiam cibi ſunt avidiſſimi, pluviam diligentiſſime vitant, Corpora enim habent ab aqua pluuiali prorſus abhorrentia. *Ebrietas.*

Sed & mendaces ſunt, vt fides eis haberi non poſſit, furtis vero & rapinis admodum delectantur, ab illis enim abſtinere per naturam non poſſunt, etiamſi vel reges ſint vel præfecti & homines primarii, ita vt ingeneratum hoc ipſis vitium eſſe haud immerito cenſendum ſit. *Mendacia. Furta.*

In capiendis piſcibus & agro colendo ſtrenui admodum ſunt & diligentes. Interim vero, animo ſunt ſatis elato & ſuperbo, ita vt ad faſtum & inſolentiam eorum accedere vix quicquam poſſit, quemadmodum hoc ipſum ex omnibus ipſorum actionibus apparet, vt nos infra pluribus exponemus. *Faſtus.*

Si quid eis credas & committas, precium vix impetrabis, ægerrime enim & difficulter quod debent ſolvunt, vt melius fuerit vel non commiſiſſe & credidiſſe ipſis aliquid, vel prorſus donaſſe, ſolutio enim vix ſperanda. *Aegre ſoluentes quod debent.*

Memoria valent optima, eamque conſeruare diutiſſime poſſunt. Natura calidi ſunt, & frigoris impatientiſſimi, Helluones præterea ſunt, & rem facere nō poſſunt, quicquid enim hodie labore ſuo acquiſiuerunt, id ſequenti ſtatim die abſumunt, abliguriunt atque conficiunt. Natandi vero & in aquis verſandi peritiſsimi ſunt, ita vt nulli hac in parte populo quicquam concedant. *Helluones.*

Cap. X.

DE VESTITV VIRORVM, QVALI NIMIRVM ORNAtu, & quibus vestimentis vtantur.



QVAMVIS habitus virilis, & vestimenta quibus ipsi vtuntur, vix alicuius precii sint, fastum tamen & insolentiam suam satis iis declarant, primo enim sibi admodum placent, & fastu quodam rustico turgent, ob crinium & capillorum rasuram variam. Quot enim capita tot sensus, & quilibet sibi peculiare quid, & ab aliis diversum hac in parte effingit, hinc videas aliquos in formam Lunæ dimidiatæ & corniculatæ, alios in formam crucis, alios alio modo rasos esse. Quidam in tria vel quatuor cornua quasi capillum effingentes, vere, quod proverbio dicitur, cristas erigere conspiciuntur. Eiusmodi autem formas tam habent multas & varias, vt congregatis sæpenumero 50. personis, vix tres aut quatuor videas, capillum simili modo rasum habentes. *Rasura capillorum varia.*

Ornamēta brachiorum. Brachiis aliquot circulos eburneos induunt, variis lineis & fissuris, in modum stylorum osseorum, quibus pueri legere incipientes apud nos vtuntur, pictos & ornatos.

Colli. In collo lineam coralliorum siue Globulorum vitreorum varii coloris gestant, quos à Batavis eo advectos redimunt. Qui vero nobiles sunt primarii, torquem siue catenam auream à collo habent suspensam. *Cruris.* Sed & eundem ornatum infra genua tibiis & suris applicant lineam scilicet orbiculorum vitreorum, varii coloris, quales Venetiis parari solent, coralliis veris distinctam, vel monilia & catenulas aureas, si nobiles personæ existant. *Pedum.* Reliquam cruris partem, vt & pedes denique ipsos multis exornant circulis stramineis, in honorem sui *Fetisso*, quod numen eorum est, adhibitis variis coniurationibus, ex stramine contextis.

Pileorum genera varia. Pileos gestant eleuatos nonnihil & acuminatos, ex arborum corticibus contextos, eosque syrmaticos, caudam habentes in terram fere propendentem, quam postea more Turcico, capiti circumvoluunt, vt spirarum vicem expleat, cum colore vario picta sit & mirabiliter distincta. Habent autem & aliud pileorum genus, ex stramine aut scirpo contextum, lato margine, vt nostris non absimile videatur. Quin & ex caninis, caprinisue pellibus, pileos sibi cōficiunt, adhibito typo quodam cui pelles istas insternant.

Vestitus reliqui corporis. Porro linteum longitudine duarum orgyarum per pedes transmissum, corpori circumvoluunt, extremitatibus ad genua vsque propendentibus, vt formam caligarum, qualibus Lusitani vtuntur, repræsentet. Domo autem egressuri, lintei alterius vel panni atrabatensis segmentum orgyæ vnius longitudine, humeris iniectum instar pallii applicant, assumptis duabus vel tribus hastulis missilibus, has enim pro armis semper egredientes circumferunt, si vero mercatores sint, vel alias viri primarii, famulum habent sese comitantem, cum sella aliqua, cui quocunque venerint, insidere possint, ne sermonem cum aliquo habituri stare cogantur, commercia enim plerunque sedentes exercent, & in hunc finem sellam sibi subministrari semper expetunt.

Intereundum haud exiguum præbent fastus & insolentiæ suæ argumentum, fixis enim & in terram demissis oculis, neminem intuentur, nec vel faciem vertunt, vel oculos attollunt, nisi à digniore aliqua & nobiliori persona compellentur, tum enim consistunt, ad interrogata responsuri. Quod si vero inferior & tenuioris fortunæ aliquis, incedentes in platea alloqui præsumat, eum responsione non modo non dignantur, sed & salse interdum inter eundum obiurgantes tacere iubent, ne forsitan contumeliæ aliquam maculam inde contrahant, cum haud parum suam autoritatem publico tenuiorum admisso alloquio labefactari putent & imminui. *Superbia virorum in eundo.*

Idem vero fastus sese etiam in sermone eorum exerit, quem qua insolentia proferant, vix inveniunt, peregrinis vero multum semper honoris exhibent, non quidem ex humilitate & animi submissione, sed vt occasionem ipsis præbeant idem faciendi, & vt ab illis resalutentur. *Fastus in loquendo.*

Nauibus peregrinorum advecturi, vt cum ipsis contrahant, deposito omni ornatu, exigui precii linteum, cuius latitudo palmum vix excedit, pedibus transmissum, corpori circumvoluunt, vt pudenda saltem eo obnubilent & tegant, peracta autem negotiatione, ad littus reuersi, illud iterum deponunt, ingressique fluuium, totum corpus à planta pedis ad summum vsque verticem, aqua proluunt, & oleo de palma, vel animalium quorundam adipe inungunt, vt splendescat quasi & niteat nec pulices muscasve, quibus affliguntur, facile admittat, Graveolentiam vero, quæ ex collectis inter pedum digitos sordibus existere solet, saponis illitu cavent & avertunt. *Lotiones & vnctiones virorũ.*

Mane domo egressi, si forte familiarem aliquem & cognatum habeant obvium, salutant sese invicem magna reverentia, in amplexus enim mutuos ruentes, sese complectuntur, coniunctisque duobus manus dextræ digitis, perstrepunt, & tandem inclinatis parum capitibus, suum *Auzy*, quod salutandi verbum est, invicem acclamant & ingeminant. *Salutationes matutinæ.*

CAP. XI.

DE NATVRA ET QVALITATIBVS MVLIERVM IN HOC regno, nec non de earum ornatu, cultu atque vestitu.

SED de viris hactenus, ad naturam & qualitates mulierum quod attinet, sciendum est eas natura admodum impudicas esse, & à pueritia statim ad libidines assuefieri, cum nudæ absque vllo pudore incedant & cum pueris conversentur, turpitudinem nullam in nudatis corporis partibus, quas natura tectas esse voluit, ponentes, Hinc enim fit, vt licet progressu temporis pudenda tegant, & per ætatem turpitudinem animadvertentes ab honestate aliquo modo discernant, à libidine tamen sibi temperare & à Venere abstinere neutiquam possint. *Impudicitia & vaga libidines.*

Olim cum Regio hæc peregrinis nationibus incognita, à nullis neq; Lusitanis neque Hollandis visitaretur, nullus ibi mulierum cultus visus est, nullique nec munditiæ mulieres, nec externo ornatui operam dederunt, prorsus enim nudæ inter masculos fœmellæ donec pubertatis annos assequerentur, eadem cum illis ratione, quæ terras hodie à mari remotiores incolunt, incedebant, quemadmodum ex confessione & *Cultus & ornatus muliebris.*

commemoratione propria, omnibus constat. At vero cum cernerent peregrinos immunditiem istam & sordes aversari, delectari vero venustate, pulchritudine & nitore, vt ipsis sese insinuarent paulatim & commendarent, erigi quodammodo ex squalore suo cæpere, munditiæ studentes, seseque modis quibus poterant omnibus perpolientes & condecorantes.

Fastus & superbia. Hinc igitur factum, quod breui temporis spacio contrahere supercilium, cristas erigere & magna insolentia esse cæperint, superbiam in incessu & vestitu præse ferentes non exiguam. Capillos modis varijs intricare & concinnare norunt, in medio verticis, eos in altum erigentes & quasi conglebantes, vt modum vittæ, qua Rhenanæ nonnunquam virgines vtuntur, repræsentent. Circa verticem, lineari partim, partim orbiculari forma crines conuolutos, hinc inde movent, donec speculum intuentes ipsæmet sibi aliquomodo complaceant. Hoc facto tandem oleum de palma adhibent, capillitium eo tamdiu versantes, donec quasi calamistro in annulos crispatum appareat.

Ornamenta capitis & capillorum. Sed & pectines habent discriminandis capillis idoneos, dentes binos, digitorum longitudinē habentes. Hos crinibus inserunt, vt à pediculorum morsibus, assidua frictione sese vindicare queant, quamvis illis etiam honorem alicui exhibentes vtantur, Mane enim amicos suos in platea salutantes, quando more vsitato digitis perstrepunt, sinistra simul manu pectines illos elevatos & extractos crinibus rursus inserunt, quod honoris quidem signum est, inclinationis loco quæ capite aut genibus à nostris perficitur, vsurpatum.

Ornamenta faciei. In fronte tribus vel quatuor fissuris cutem secant, quemadmodum etiam circa auriculas & supercilia, fissuras vero istas nonnihil intumescentes, vario colore imbuunt, multis insuper puncturis albo colore refertis, totam passim faciem illuminantes, vt quasi pulcherrimis exornatæ margaritis eminus appareant. Quin & in brachiis & circa mammillas in pectore cutem varie secant, & singulis diebus, strato surgentes novo colore fissuras istas replent, vt amictorii cuiusdam seu mãmillaris dissecti speciem præbeant.

Reliqui corporis. Sed & inaures gestant ex Orichalco, Cupro, & plumbo candido, siue stanno artificiose formatas, Armillas habent cupreas, itemque ex orichalco & ebore factas, quas similiter & cruribus induunt. Puellæ autem & virgines virum adhuc ignorantes, murenulas gestant in brachiis, ex ferro in tenues circulos artificiose diducto, affabre factas quamplurimas, ita vt 30. vel 40. in vno sæpe brachio numerare possis. Quæ vero communes sunt mulieres, meretrices nempe, *Etigafou* ipsis dictæ, tibiis & cruribus annulos sive circulos cupreos circumdare solent, multis tinnientibus nolulis exornatos, vt incedentes passim exaudiantur.

Rei domesticæ peritia. Furaces porro sunt, sed statura & proportione corporis satis bona. Rei familiaris & domesticæ administrandæ, sunt peritissimæ, coquere & cibum parare suo modo bene norunt, sed vasa coquinaria, vtpote lebetes, ollas, cacabos, sartagines, patinas &c. ad ornatum in ædibus suis prostantes non habent, non plus supellectilis ementes, quam ad vsum quotidianum satis est. Domi plerunque sese continent & raro in plateis visuntur, filias suas à pueritia statim ad negotia domestica educantes & informantes, vt mirum non sit eas mulieres postmodo factas coquendi peritissimas existere.

Steriles

Steriles quidem non sunt, nec tamen etiam nimis fœcundæ, per duos enim vel tres annos viro cohabitare possunt, antequam imprægnentur & gravidæ fiant. Cuius rei quidem causam temperamentum partim earum calidissimum, partim aërem regionis istius ferventissimum existimo, quamvis non negem polygamiam etiam aliquo modo in causa esse, cum enim tot simul & semel habere vxores viris liceat, quot alere suis facultatibus & sustentare possunt, vni semper vxori cohabitare & operam dare non possunt. Nam & diuitias suas maximas in copia vxorum & liberorum viri collocant & quam primum peregrinorum aliquem alloquuntur, vxorum statim & liberorum suorum mentionem faciunt. *Fœcũditas mulierum.*

Dentes perpetua frictione pulcherrimos & vel Ebore candidiores reddunt. Quod ad vestitum attinet, linteum aliquod, longitudine sesqui Orgyarum, à pectore ad genua vsque demittunt, illudque cum rubri, cærulei vel fului coloris panno, corpori alligant, qui pannus simul etiam cinguli vicem obtinet, vt cultros, crumenulasque & claves ei appendant, etsi enim cistarum apud eas vsus rarus est, integros tamen clauium fasciculos, à cingulo pendentes habent, ornatus, vti putant, gratia. Multos præterea ex stramine compositos annulos, intermixtis fabis & orbiculis vitreis, chorda seu funiculo lineo transmissos, variisque *de Fetisso* suo coniurationibus, vt putant, sanctificatos, gestant. Aliæ storias ex arborum corticibus cōtextas, aut aliud quispiam corpori præcingunt, pudenda saltem quoquomodo tegentes. *Vestitus mulie-bris.*

Atque hæc vestimentorum ratio est, qua domi quotidie vtuntur. Cæterum in forum & conspectum hominum processuræ, corpus aqua prius ablutum, linteo nouo præcingunt, nouo similiter cingulo adhibito, linteumque aliud à pectore ad pedes vsque, vt stolam aliquam vel pallam repræsentet, demittunt, pannique vel Atrebatensis vel Hunscotensis vel vndulati segmentum humeris iniectum, per brachium alterum, ceu pallium aliquod traducunt, sicque exornatæ, in forum procedunt, patinam aliquam ligneam, eleuata nonnihil manuum altera gestantes. At vero peractis in foro negotiis suis cum domum revertuntur, habitum hunc statim omnem deponunt, vestimenta quotidiana & vulgaria resumentes. Cum viris sint multo tenaciores, sumptibusque quam possunt diligentissime semper parcant. *Vestitus mulierum domo exeuntium.* *Mulieres tenaces.*

Cap. XII.

DE CIBO ET POTV EORVM, QVOMODO NIMIRVM PAnes coquant, quam crudas absumere dapes soleant, quam cibi sint avidissimi, quo potu vtantur, & quam famem sedare nunquam possint.

PRINCIPIO sciendum est, mulieri omnem rei familiaris administrandæ curã incumbere, quæ propterea etiam cum pecunia viri omne in domo imperiũ obtinet, Viris in acquirendis opibus interea occupatis, prospicere igitur sibi & suis omnibus de cibo & potu necessario mulieres coguntur, quæ non plus *Familiam regere, & de cibo potuque necessario cogitare, mulierum est.*

emere & parare solent quotidie, quam in diem sufficere ipsis videtur, à sumptibus non necessariis diligenter abstinentes, sub vesperam itaq; vnius cuiusque diei, horreum suum vna quælibet ingreditur, tantumque frumenti ibi accipit, quantum pro familia sua sufficere in sequentem diem arbitratur, Hoc excauato saxo impositum, pistillo tundunt & in morem herbarum comminuunt, contusum autem, catino ligneo infundunt, vt crebra ventilatione à paleis, mancipiorum suorum opera diligenter purgetur. Frumentum hoc candidum est & pulcherrimum, commixtum vero alio, quod ipsis *Mays*, nobis milium indicum est, aquæ infunditur per noctem ea mitigandum. Mane igitur surgentes mitigatum hoc frumentum lapidi molari imponunt & conterunt, eadem prorsus ratione, qua pictores nostros in coloribus terendis occupatos videmus, sic enim attritum, farinam præbet optimam, quam statim affusa aqua & asperso sale, in massam cōficiendis panibus aptam subigunt, eamque in aliquot partes diuisam, calido foco imponunt, vt crustam agat & induretur paululum, qui postmodum panis est, quo vulgo vtuntur.

Quomodo farinam præparent & panes coquant.

Quæ in castello *de Mina* habitant Æthiopicæ mulieres, elegantes admodum panes ex milio indico pinsere norunt, qui ad siligineos nostros candidissimos quam proxime accedūt, tam vero eos probe percoquunt, vt trium vel quatuor mensium spacio nec mucidi fiant, nec situm vllum resipiant, vnde commeatum nauibus insulam *S. Thomæ* vel *Aegolam* petituris, præstare solent optimum. Quæ vero tritico & frumento vnde panes coquant destituuntur, in forum progressæ, panes optimos, quos *Kangues* vocant, pecunia redimunt. Nam in foro omnia ad vitæ sustentationem necessaria, quotidie prostant, panes nempe, carnes, fructus omnis generis & alia, quin & pisces, viris ex piscatione domum reversis, à mulieribus in forum venales, asportantur.

Cibi crudi calidi & inhumani.

Cibi sunt avidissimi, eumque crudum maxime & calidum appetunt, sic enim integros eos piperis manipulos deglutire, & vitrum vino igni eliquato, quod aquam vitæ vulgo dicimus, repletum, satis magnum, vnico haustu absorbere videas, sed & canes & feles adhibere in cibum solent, & foetidas Elephantum, bubalorumque carnes, licet & vermibus sæpe scateant, & nares odore suo fœtidissimo maxime offendant.

Aviculæ sunt ibi fringillas nostrates vel paros magnitudine æquantes, capita habentes rubentia, fusco alias colore præditæ, quæ nidos suos magna dexteritate minutis arborum frondibus appendere & alligare consueverunt, vt à serpētibus & id genus aliis venenatis animalibus, pullos suos tutos reddant. Has si forte comprehendant, cum plumis & intestinis, viuas, & integras devorant.

Fama est, eos qui in locis à mari longius remotis habitant, lacertis calore solis induratis, vesci, Vulgus vero populorum loca maritima inhabitantium, licet cibis recentibus & bonis non destituantur, & eos melius, quam qui remotiora loca incolunt, habere possint, temperamenti tamen sunt & naturæ adeo ferventis, vt gallinarum etiam intestina, cruda & nulli igni admota comedant, quemadmodum Hollandis hoc non semel visum est.

Intestina gallinarum cruda devorantur.

Accidit enim aliquando, vt puer quidam, Hollandis oppignoratus, aliquandiu in naui relinqueretur, hic tanto flagrabat ciborum crudorum amore, vt omnibus stupori esset, Quamvis enim alimentorum ei daretur satis, & de inedia conqueri non posset, gallinario tamen advolutus,

lutus, communi cum gallinis libentius vefcebatur cibo, quin & gallinas capita cancellis fuis exerentes obferuabat, baculo, cui clauum ferreum præfixerat,eas feriens vt morerentur. Quo facto poftea profiliens narrabat gallinas quafdam fe vidiffe exanimatas. Id autem hanc folummodo ob caufam faciebat; vt inteftinis fibi crudis vefci liceret. Ea enim fordibus non modo non purgata, & abluta, fed feruentia adhuc, ita vt ex gallinis excernebantur, auidiffimus vorabat; caliditatem naturæ & temperamenti fui hoc ipfo fatis comprobans atque declarans.

Quin & pifcibus putridis, feruoreque folis induratis haud raro vefcuntur, fed hæc tamen ita non accipienda funt, quafi nullis alimentis aliis quam crudis hifce & craffis vterentur. Nam & delicatioribus victitant, modo id ipfis concedatur. Hinc mulieres videas, ex illis potiffimum quæ cum Lufitanis aliquandiu in propugnaculis vixerunt, quæ coquendi & præparandi cibi funt peritiffimæ. Nam & gallinis vefcuntur, & carne caprina, veruecina, bubula, ceruina, & alia id genus ferina. Verum hic non promifcuæ plebis & vulgi cibus eft, fed nobilium & ditiorum tantum, qui fibi de eo profpicere per fortunas & facultates commode poffunt. *Cibus delicatior pro nobilibus.*

Sed & fructibus vefcuntur delicatioribus, varios enim eos habent, nempe *Ingnamos*, *Bananas*, *patates* & alios. Arbores habent varii generis, inprimis vero quas *Palmitas* vocant, Earum autem quafdam fœmellas dicunt, quæ vinum nullum proferunt, fed eius loco multis abundant fructibus, qui magnitudine quidem pruna noftratia, colore vero mala aurea, fed in extremitatibus nonnihil nigricantia, referunt. Hunc fructum ad nucleum vfque amputantes, parando oleo adhibent, quod *Oleum de Palma* vocant. Et hoc quidem preciofum fatis eft & bonum coquendisque pifcibus non ineptum, iufculum reddens delicatum & fapidum fi nimirum recens fit atque dilutum, illud enim quod paulo craffius eft, inungendis corporibus & capillis exornandis adhibent. Nucleum hic fructus habet magnitudine iuglandis, durum admodum, & tribus rotundis foraminibus in vertice infignitum, cuius corticem fi aperias, tres in eo nuces inuenies, auellanæ fimiles, fed nullius fere faporis. *Fructus.* *Oleum de Palma.*

Pifa infuper habent & fabas varii generis, inprimis vero delicatulas & molles aliquas, Phafeolis noftris non abfimiles, rofei purpureique coloris, quæ fi adhibito oleo de palma, probe coquantur, pulpamentum præbent, non male nutriens, Reliquas autem fabarum fpecies in cibum raro affumunt, cum exigua ibi copia nafcantur. Sed fructu qui *Ingnamus* ipfis dicitur pro pane interdum vtuntur, fi nimirum panibus deftituantur. *Pifa & faba.*

Iam ad potum eorum quod attinet, nullo quidem alio communiter & vulgo vtuntur, quam aqua, quamuis potum alicubi alium conficere foleant, ex frumento quod *Mays* vocant, illud enim aqua decoctum, potum præbet cereuifiæ non abfimilem, & eius paffim magnus vfus eft, nominaturque *Poitou*. *Potus qualis.* *Cereuifia.*

Vinum fitientes, auro redimere coguntur, Cum autem vinum illud, quod de palma vocant, non diuturnum fit, fed faporem ftatim amittat, folent interdum viri quinque vel fex, collutis fymbolis, ollam integram vino repletam emere, qua quidem menfuræ propemodum *Vinum.*

modum nostrates decem contineantur, Hoc, vasculo postmodum alii, quod in arboribus crescens ipsis *Cabas* vocatur, mensurarumque nostratium duodecim fere capax est, infundunt, statutumq; in medio, potaturi decumbunt. Antequam autem potare incipiant, vir quilibet coniugi suæ, quam charissimam habet, haustulum aliquem minori vasculo domum mittit. Cæterum potationis initium facturus, vrceolo quodam, seu minori *Caba*, ex vase isto vinum haurit, cæteri vero astantes, aperto eius capiti manus imponunt, & voce magna, barbaricum *Tautosi* ingeminant. Non licet autem ei poculum seu vrceolum integrum primo haustu evacuare, sed relictum in eo parum in terram effundit, addita dictione *Iou*, quasi *Fetisso* seu numini illud bibendum daturus. Nam & *Fetissos*, si quos brachiis pedibusue circumdatos habeant, de primo isthoc haustu omnes aspergunt, vt ita Numen etiam, quod colunt, vini huius particeps fiat, in ea enim sunt opinione, se vinũ suum, hoc per incuriam & obliuionem intermisso, secure & quiete non bibituros.

Ceremonia inter potandum vsitata.

Barbaries in edendo.

Sed & barbaries in edendo apparet maxima, tam enim cupide & avide vorant, vt sues eos non homines dicas, prostrati enim in terram ad comedendum, alius alium non expectat, sed magna velocitate & aviditate in paropsidem omnes simul involant, arreptum vero ferculum confringunt, & in minutas dividunt particulas, quas deinde ex paropside tribus digitis elevatas, tanta velocitate in os coniiciunt, vt merito, ab ore eos non aberrare mireris.

Fames cõtinua.

Quamvis autem cibo non parcant, sed eum satis copiosum assumant, famem tamen sedare nunquam possunt, ita vt vel integrum diem edendo consumere posse videantur, idque propter ventriculi, qua valent, caliditatem maximam. Nec obstat quod regio calidissima sit, & æstu illo externo, appetitus ciborum impediri videatur. Quamvis enim in nostris regionibus aër calidus, cibi alias parum admittat, ipsi tamen saturari nunquam possunt sed semper deprehenduntur famelici, quin imo peregrini etiam, quorum non exiguus ibi passim conspicitur numerus, cibi magis quam aliis in regionibus, semper appetentes ibi existunt.

Pauci divites.

Cæterum licet à iuventute sua ad laborem assuefacti, nunquam fere conspiciantur otiosi, rem tamen facere, & opes multas accumulare non possunt, idque propterea quod parsimoniam ignorantes de futuro non sint solliciti, atque ita inventis parcere & parta tueri nesciant. Quo enim quis lucrum facere maius incipit, eo pluribus eum conversari, & sumptus maiores facere necesse est, vt divites ibi non multos iuvenias.

CAP. XIII.

DE NEGOTIATIONIBVS EORVM VARIIS, QVIBVS intenti rem facere & parare divitias conantur.

Status incolarũ miser ante Lusitanorum adventum.



NTE Lusitanorum in has regiones adventum, incolæ quo se sustentarent parum habebant, contenti nimirum iis quæ terra tum proferebat, quæ quidem satis erant exigua & tenuia. Nam & vestimentis plane destituti, nudi incedebant, & pecorum commoditatibus carentes, parum habebant vnde viverent seque & suos sustentarent, At Lusitanis postmodum incipientibus,

& pe-

&pecora & res alias omnis generis, eo transportare, aliam omnia induisse faciem visa sunt, nam & pecoribus & rebus ad sustentationem huius vitæ necessariis, regio ista adeo nunc abundat, vt nihil amplius desideres.

Cum igitur Lusitani primo merces varias asportantes in regiones hasce venirent, incolæ loca maritima inhabitantes aggressi statim, pannum lineum & laneum, resque quibus indigebant alias, auro præsenti sibi comparabant. At vero loca à mari remotiora incolentes, appropinquare, & commercia cum ipsis exercere verebantur, abhorrentes nimirum à conspectu hominum istorum peregrinorum, qui albi existentes, variis erant induti vestibus. Quotquot enim in mundo reperirentur homines, nigros esse putaverunt, quemadmodum ex nostris etiam non pauci reperiuntur, qui conspectu deformium istorum & nigrorum hominum attoniti quasi cohorrescunt. Stupefacti igitur cum auro suo ad loca maritima venientes, notos sibi quosdam exorabant, vt molestia hac conveniendi Lusitanos sese liberarent, & accepto hoc auro, has vel illas merces, sibi emerent, qui subornati, ad Castella & propugnacula Lusitanorum profecti, quod iussi fuerant, auro præsenti redimebant, ferrum nimirum, & lineum laneumque pannum, vasa item ænea, cuprea & stannea cum cultris, & orbiculis vitreis, aliisque id genus rebus variis. Cæterum reuersi rationem mercatoribus reddebant, certam pro quolibet auri expositi *Peso*, mercedem accipientes, quæ quidem tum ratio erat, pecuniam acquirendi, pro illis qui in maritimis habitabant civitatibus.

Prima commercia cum Lusitanis.

Postmodum cum Batauis littus hoc & regio innotesceret, ipsique viderent locum mercatoribus esse admodum convenientem; Lusitanis quippe mercaturam bonam, & non parum lucri ibi facientibus, cæperunt & ipsi cogitare, quomodo, lucri illius partem ad se pertraherent, & auro quod regio ista profert aliquo modo potirentur, oneratis igitur & rebus necessariis omnibus instructis navibus sub imperio *Bernhardi Frickfen Medenbliccensis*, qui cum Lusitanis olim regionem istam perlustraverat, & loca omnia cognita probe habebat, regionem istam tentarunt vt fortunam suam ibi experirentur. Hic cum vento secundo ad littus illud appulisset, & vero non domum modo nullam, cui bona sua, progressu temporis cum fructu distrahenda inferret, à Lusitanis obtinere posset, sed & ne in terram quidem propter odium eorum crudelissimum descendere auderet, cũ navi in portu subsistere & adventantes Æthiopum *Canoas* naviculasque præstolari coactus est.

Batavi cuius ductu has regiones invenerint.

Advenientes igitur Nigritæ, cum viderent, Hollandos omnis generis merces & bona advexisse, decreverunt cum ipsis contrahere, allatoque ad naves auro, mercaturæ huius initium fecerunt. Quæ quidem progressu temporis ita confirmata est, vt negotiationes Lusitanicæ fere prorsus iam ceciderint, Nigritis ad naves Batavorum catervatim confluentibus.

Cæterum commerciorum quæ cum Hollandis Nigritę iam exercent hęc ferme est ratio. Empturi res quaslibet, ad naues Batavorum in portu subsistentes, primo statim diluculo, cymbis suis advehuntur. Ratio vero cur matutinis horis mari se committant, hęc est, quod, ventum eo tempore plerunque habeant secundum, à terra nempe progredientem, qui ipsis *Bofone* dicitur, A meridie autem ventus plerunque conversus, ex

Commerciorum cum Batavis quæ sit ratio.

angulo oppoſito, nempe ex parte maris procedit, qui *Agora Brettou* ipſis vocatus, tempeſtates in mari ciet, illudque totum turbidum reddit. Itaque mercatores iſti Nigritæ properant quantum poſſunt, vt ſeſe matutinis horis expediant, & tempeſtiue antequam ventus convertatur, terram rurſus aſſequantur. Qui enim loca à mari longius remota incolunt, commotiones & fluctus maris ferre nullo modo poſſunt, quin imo licet tranquillo & quieto mari ad naues Batauorum advehantur, adeo tamen languidi & debilitati cernuntur, vt ne conſiſtere quidem pedibus poſſint, ſed proſtrati ægrotantium more recumbant, nautis contra nihil huiuſmodi ſentientibus, qui crebra aſſuefactione contra omnem maris impetum quaſi occalluerunt. Quod ſi igitur mare ſedatum omnino & placidum, ita eos exerceat, vt ad languorem vſque debilitati, perpetuo miſere vomitu torqueantur, quid mirum, eos, ventum, tempeſtates & fluctus in mari cientem, horrere maxime & averſari?

Cur Æthiopes matutinis horis cum Batavis negotientur.

Sed & aliqui ex mercatoribus iſtis paganis reperiuntur, qui mare ita reformidant, vt ne appropinquare quidem, multo minus vero ei ſeſe committere audeant, itaque tradito prædictis nautis auro ſuo, & mercibus quas expetant denominatis, mercaturam per alios exercent. Nautæ vero iſti ad naues Batauorum aducti, ſacculum auro repletum à collo habent ſuſpenſum, vnius cuiusvis tamen portione ſeorſim poſita & peculiari papyro involuta, ſed memoria ſubornatos iſtos nautas & proxenetas valere optima neceſſum eſt, ne quantum ab vno quolibet auri acceperint, & quid bonorum ſiue mercium quilibet expetat, obliuiſcātur, multas enim interdum & varias ſuſtinent prouincias, à decem vel duodecim ſæpe mercatoribus aurum accipientes, idque non eadem quantitate, ſed ab vno vnam, ab altero tres, quatuor quinque & plures marcas, pro conditione & fortunis mercatorum variis.

Commercia per perſonas ſubornatas.

Quod ſi autem aurum alicuius non iuſtum habere pondus contingat, impoſitum rurſus ſacculo, mercatori à quo illud acceperant, referunt, addere enim aliquid & pondus explere conſultum ipſis non eſt, cum trutina appenſum illud acceperint, atque ita defectum ſupplere cogantur. Cæterum peracta mercatura iam, nautis illis munera quædam & donaria, *Dache* ipſis dicta, ab Hollandis debentur.

CAP. XIIII.

DE DONARIIS QVAE IPSI DACHE VOCANT, QVID *illa ſint, & quomodo cœperint. Item de multiplici dolo quo proxenetæ ſive mediatores & ſubornati mercatores, in emendo ſubinde vtuntur.*

NAVIGATIONE hac primum inventa, accidit aliquando vt tres diverſæ naves, vno & eodem tempore ad littus hoc, mercaturam exercendi gratia appellerent, Mittelburgica nempe, Amſtelrodamia, & Schiedamia, quibus commercia ſua ſimul ibi exercentibus, cum Nauclerus in vna naui animadverteret, maiorem ad alteram fieri concurſum, & plus mercium in ea divēdi, vt mercatores ad ſe invitaret fallaciā excogitauit eiusmodi, ꝓxenetis & nautis quorū fauore, qui cū fructu ibi negotiari expetūt, inprimis opus

Origo donariorum quæ ipſi Dache vocant.

opus habent, ad se vocatis, spem muneris faciebat, si mercatores ad suam nauem transportarent, & vt citius aliis suas diuenderet merces, seq; ibi expediret, facerent. His igitur, cum natura auari sint, facile annuentibus, cum proxenetas ad eam imposterum advolare, mercatoribusque sese destitui, Nauclerus prior cerneret, qua de causa id fieret nautas interrogabat, cumque accepisse sese à Nauclero isto præmium aliquod siue donarium, dicerent, adderentque paratos sese redire & mercatores rursus adducere, si simile quid & hic expectandum sibi esset, ipse statim amplius promittens, præmium duplicaturum se affirmabat, mercatores hoc modo rursus ad sese pertrahens. Sed & tertius fallaciã hanc animadvertens *Dache* siue donarium illud triplicare, & longe plus quam priores duo, nautis illis donare cœpit, saltem ne solus mercatoribus destitutus ibi relinqueretur. Itaque alieno cum essent ab inuicem animo, alter alterius fortunis insidiatus, mutuis concertationibus & mercatores ad se allicere, & commodum suum, cum detrimento alterius promouere quisque studebat.

Hæ donationes & munera, vsque adeo ascenderunt & creuerunt indies, vt *Dache* illud hodierno die semissem interdum & septuncem excedat. Ipsorum enim Batauorum discordia & contentionibus factum est, vt cum alter alteri commodum suum invideret, tandem confirmata hæc consuetudo in legem abierit, & iam scire propemodum quilibet possit, quid & quantum pro *Dache* sibi dandum sit, De quibuslibet enim mercibus, siue linteum sit quod emant, siue pannus, siue ferrum, aut vasa quælibet ænea, nosse potest Nauclerus quilibet, quantum in pondere & mensura muneris, vel, vt ita dicam, Episagmatis loco donandum sit, non vni tantum, sed & mercatori pagano, in specie & proxenetis & Nautis, qui suam in advehendis illis obtulerunt operam, vnoquolibet *Dache* suum pro se seorsim expetente. Quæ quidem consuetudo per invidiam Batavorum introducta, vt nullo modo laudanda, sic, hoc præterea habet vel maxime vituperandum, quod peracta iam mercatura, nouæ eæq; prioribus longe maiores Naucleris creantur molestiæ ex *Dache* isthoc rite perficiendo, cum sæpe accidat, vt illi qui parum emerunt, plus negotii Naucleris facessant, quam qui multum auri expenderunt.

Quid Dache illud sit, & quousq; se extendat.

Incommoda huius consuetudinis, Dache exsolvendi.

Non semel autem accidit, vt Nigritæ ad naues Batauorum venientes, tanta superbia fuerint, vt ne inchoare quidem mercaturam voluerint, antequam scirent, quid muneris & donariorum sibi expectandum esset. Quin imo conuiuio eos excipere, & vino donare necesse sæpe fuit, cumque ante hæc tempora, Mercatores pagani, proxenetis & nautis certam persoluerent mercedem, ipsi iam proxenetæ & nautæ, vt mercatores sibi concilient, certis eos muneribus ad se inuitare atque ita mercedem ipsis quasi persoluere mercatoribus non dubitant, idque propterea, vt quo plures adducant Batauis mercatores, eo plus munerum & donariorum seu *Dache* accipiant.

Cæterum fit interdum vt pagani quidam mercatores ex longe dissitis locis ad ciuitates maritimas proficiscantur, vltra centena sæpe miliaria cõficientes, qui magnã auri asportare solent copiam, mancipiis 20. & 30. sæpe pro ratione facultatum suarum, stipati, quibus merces coëmptas imponant & domum secum asportent. Hi certa sua domicilia habent & certos mediatores vel proxenetas quibus in coëmendis mercibus vtantur. His aurum appendunt, & quid mercium expetant expo-

Cõmercia cum peregrinis mercatoribus.

nunt addito eis plerunque vno ex conſortibus ſuis; qui vt omnia recte in navi adminiſtrentur,& dolus caveatur attendat. At vero Mediatores iſti & proxenetæ cum animaduertunt paganum iſtum linguæ Luſitanicæ ignarum eſſe, Nauclerum ſtatim ea de re commonefaciunt, Ruſticum eum eſſe & idiotam dicentes,qui linguam qua Batavi vtantur non teneat,tacite ſubindicare volentes, quod eum circumvenire & decipere expetant,id quod etiam egregie faciunt,ſtatim enim merces eas quas emere iuſſi ſunt proferri petunt, cumque quanti vnumquodq; veneat, cognitum iam ante & perſpectum habeant, nova cum Nauclero actione non eſt opus, converſi igitur ad paganum agere cum illo incipiunt; offerentes ei pro auro ſuo quantum ſufficere videtur. Quo acquieſcente, & contractum iſtum ratum habente,merces cymbis ſuis imponunt, traditoque Naucleris auro,cum pagano iſto littus legunt, qui poſtmodum mercibus iſtis,mancipiis ſuis impoſitis, domum repetit. Cæterum diſcedentibus paganis, ipſi rurſus Mediatores & proxenetæ ad naues Batauorum reuertuntur,allatum nempe mercium reſiduum illud,quod paganis abalienatum, in naui reliquerant, vbi vel tertiam adhuc mercium, quæ paganis mercatoribus deberentur, partem ſupereſſe,& proxenetas ita furtum non exiguum commiſiſſe animadverſum ſæpe fuit & deprehenſum. Quod autem fraude & impoſtura acquiſiuerunt, invicem ſtatim partiuntur & compotationibus inutiliter diſſipant atque diſperdunt.

Proxenetæ paganos ſuos mercatores quomodo circumveniant.

Quod ſi paganus quem ſecum adducunt linguæ Luſitanicæ peritus eſt, vt iam circumveniri & decipi hac ratione non poſſit; vel ſi linguam quidem non teneat, ita tamen circumſpectus ſit,periculumque ſit,eum cognito & perſpecto dolo,animos ſociorum ſuorum ab hoc mediatore & proxeneta averſurum, quemadmodum id quidem non raro accidit, vt reverſi pagani de alio Mediatore ſibi proſpexerint,peracta mercatura, menſæ aſſident,& auri partem aliquam,pagano inter expendendum & ponderandum vel tuſſiente, vel expuente, & faciem forte vertente, ſubtractam, magna celeritate vel in ore, vel in auribus, naribusque abſcondunt,perſuadentes pagano, aurum iſtud levius eſſe,& iuſtum pondus non habere. Alii ablata auri aliqua parte,inter ponderandum ſpiritu oris trutinam adiuuant,vt debitum acquirat pondus, & furtum non animadvertatur, decipientes hoc modo Nauclerum, qui niſi probe attendat, & accepta trutina lances ſua etiam manu eleuet,non parum inde damni percipit, magna enim ad furandum ſunt dexteritate, & modos circumveniendi mercatores cum quibus negotiantur & contrahunt, infinitos norunt.

Fraudes proxenetarum multiplices.

Hoc quidem negari non poteſt,eos initio cum Batavi primum ad iſta loca venirent ſimplices admodum & credulos fuiſſe, Non putabãt enim dolum in albos iſtos homines cadere, ſed omnis eos fraudis expertes eſſe,itaque bona fide, quicquid emerant mercium, accipiebant, nihil hæſitantes aut de iuſta quantitate ſubdubitantes. Verum Batauis hac illorum ſimplicitate nimium abutentibus, cum pro orgyis & vlnis decem, vix octo ipſis darent, & contrahentes eos pro libitu circumuenirent, tandem prudentiores facti,fraudem animaduertere cœperunt,& cautius impoſterum mercari. Hinc adeo iam in ſupputando calculando & remetiendo excellunt,vt ne ducentas quidem lintei vel panni orgyas & vlnas ementes, decipi vllo modo poſſint. Dolum vero vel minimum animad-

Simplicitas eorũ quomodo emendata.

animaduertentes, adeo Nauclerum odiſſe incipiunt, vt nunquam ad nauem iſtam reuertantur; iniuriarum enim admodum ſunt memores & vel levi verbo offenſi, implacabile ſæpe odium concipiunt.

Haud raro autem & mutuo accipere merces à Naucleris conantur, blandientes ipſis admodum, & ſplendidis verbis ſolutionem promittentes, quam tamen præſtare nunquam cogitant, itaque ſi aliquid impetrent; & Naucleri dictis ipſorum fidem habentes, ipſis merces quaſdam concedant ſtatim iam incipiunt ab iſta naui abſtinere, nec vnquam ad eam revertuntur, ne ſolutionem præſtare cogantur, vt ita melius longe ſit ipſis aliquid donare quam concredere & mutuo dare, ne odium ſibi quis officio ſuo conciliet, & damnum inde ſentiat maximum.

Cap. XV.

DE OMNIS GENERIS MERCIBVS QVAS Batavi eo tranſportant, à quibus ſcil. & in quem vſum emantur.

ANte peregrinorum in has terras adventum, parum vel nihil erat, quo ſeſe veſtirent, itaque videntes hoc Luſitani varias eo tranſuehere merces cœperunt, vt defectum hunc ſupplentes, lucri inde facerent quam plurimum, Verum cum Batavi etiam perpetuis bellis excitati regionem hanc ſcrutari cœpiſſent, vidiſſentque mercaturam ibi exerceri ſatis lucroſam poſſe, decreverunt tandem allatis mercibus variis fortunam ſuam experiri, quod quidem ſucceſſu non caruit, cum Luſitanorum commercia, adventu Batavorum prorſus fere extincta iaceant.

Merces autem quas Batavi eo tranſportant ſunt, primo linteum ſileſium, hoc enim maxima copia ad iſtas regiones defertur, cum maximus ibi ſit eius vſus, vtentibus eo Nigritis ad veſtimenta ſua. Deinde pelues omnis generis, magna copia eo tranſportant, nimirum ſartagines minores & maiores, pelues tonſorias, malluvia, pelluuia, Labra, Sartagines ſcoticas amplitudine duarum ſæpe orgyarum, ollas item lebetes & cacabos varii generis, quibus ad res varias vtuntur, minores enim conſeruando oleo inſeruiunt, quo corpora ſua inungunt, maiorum vſus in ſepulturis eſt, vt ſepulchris, eas imponant, adhibentur etiam mactandis pecoribus, & aliis rebus variis, pelues tonſorias lauando capiti, & reſecandis capillis adhibent. Latis ſine profunditate & planis pro operculis vtuntur, vt nimirum aliis eas inſternant à ſordibus & immundicie res ſuas conſeruantes, ham & ornatum ſuum muliebrem & alia id genus eis imponunt, ſartagines ſcoticas, mactandis ſuibus adhibent, vt nimirum illis impoſitas aqua ferventi infundant, & crinibus purgent. Cacabis & ollis ſine margine ad coquendum vtuntur. Atque huiuſmodi quidem vaſis æneis, ex cupro & orichalco factis, regio iſta à Batauis ita referta & impleta iam eſt, vt pagani, qui longe à mari remotis habitant locis; ea ab incolis ciuitatum maritimarum eodem ſæpe, aut certe non maiori, quam in Hollandia venduntur precio, redimere poſſint.

Linteum Sileſium.

Pelves variæ.

Quamuis autem ingenti hæc vaſa copia eo tranſportentur, nec vero tam facile ea conſumi & atteri poſſint quam linteamina & merces aliæ, non facile tamen fractum ibi & attritum cuprum invenias, quod ipſum argumento eſt ingentem in remotis à mari locis habitare populum, quorum vſibus variis vaſa illa inſeruire poſſint, vt ita paſſim per regionem iſtam divendantur & diſtrahantur.

Vaſa ænea & cuprea. His accedunt & vaſa alia hauriendis aquis accommodata cuprea & ænea, quædam enim afferendis aquis adhibentur, quædam in ædibus conſtituta eis excipiendis inſeruiunt, vt nimirum aquam ſemper in promptu habeant qua ad potandum vtantur, & hæc intrinſecus ſtanno ſunt obducta. *Ferrum.* Ferro ad omnis generis arma paranda vtuntur, fiunt enim ex eo haſtæ & miſſilia, ſecures, pugiones, & id genus alia, & miſilibus quidem pugionibusque in bello, ſecuribus vero ad agriculturam vtuntur, vt terram illis proſcindant, fodiant, ligna in ſylvis ſecent, & opera ruſtica alia perficiant, præſertim cum inſtrumenta hiſce laboribus vt & extruendis ædificiis, navibuſque excauandis inſeruientia alia non habeant.

Sed & pannum rubri, cærulei, fului, viridis aliorumque colorum, Batavi copioſum eo tranſuehunt, vnde cingula & Zonulas parant, quibus corpus præcingant, cultroſque & claues, & loculos aliaque id genus alligent. Penulas porro gauſapinas villoſas, veſtiendis corporibus adhibent inſtar pallii vel amiculi alicuius, circulos ſiue annulos ex cupro & orichalco factos, brachiis & cruribus exornandis circumdant, Vaſa ſtannea emunt quidem etiam, ſed non tanta copia velut ſuperiora ænea. Cultros & orbiculos vitreos varii coloris magna copia redimunt. Eos vero poſtea in 4. vel 5. particulas diuiſos, & in lapide quodam raptatos læuigare & expolire ſolent, colligatoſque in faſciculos, paſſim per vniverſam regionem diuendunt, frequentiſſimus enim eorum vſus eſt in collo, manibus pedibuſque exornandis. Præterea & ſphærulas habent precatorias & orbiculos rotundos ſupradictis paulo maiores, quos capillis intertextos iuxta auriculas demittunt. Ex acubus vero, quas ſimiliter magna copia emunt, hamos capiendis piſcibus aptos conficiunt.

Præterea flabellis ex cauda equina factis, præterquam quod otioſi ſedentes, muſcas iis abigant, in choreis & ſaltationibus etiam pro inſigni ornamento vtuntur, ſed & ſpecula, mulctralia, vrceoli, ſitulæque cupreæ & alia id genus, ab Hollandis, regionibus iſtis importantur, verum merces optimæ & faciendo lucro conuenientiſſimæ ſunt linteum, pannus, ferrum, vaſa ænea & ſtannea, vt pelues, ſartagines, ollæ, lebetes, cacabi, cultelli etiam & orbiculi verſicolores vitrei. Reliqua quæ diximus non ſunt vſque adeo lucroſa, quippe quæ non magna copia, ſed particulatim ibi diuendantur. *Quæ ſint merces optimæ ex quibus plurimum lucri fieri poſſit.*

Cum vero adhuc hodie in rebus aliis periculum fiat, vt intelligatur, an aliquid præter iam dictas merces, ipſis arrideat, accidit interdum vt ipſis incognita eo advehantur, eo fine vt illis diuenditis, lucrum ad Batauos nouum redeat, cum lucro faciendo mercatores vnice ſint intenti.

Buccinæ fictiles. Allatas igitur aliquando buccinas fictiles ex terra figulari fabrefactas, Nigritæ quidem initio tanquam nouum & peregrinum aliquid cupide redimebant, verum progreſſu temporis, cum viderent, eas ex manibus forte in terram cadentes, ſtatim frangi & comminui, nullas amplius expetebant. *Stapedes.* Quin & ſtapedes in quibus pedes firmãtur & quaſi ſtant commodio-

modioris vectationis gratia; cum aliquando quidam attulissent ipsi mirati, ex Nauclero quærebant, nunquid inaures istæ essent, quibus mulieres exornandis auribus vterentur, prohibentes simul ne plures afferrent, quod aures suarum mulierum tanto ponderi ferundo non essent. Sed & perspicilia ipsis allata sunt, verum cum nares haberent simas atque depressas, ea ipsis minus conuenire compertum est.

Porro cum claues ipsis afferrentur, eas quidem initio emerunt magna copia, vt in fasciculos colligatas, à cingulo dependentes gestarent. *Claves.* Verum accidit aliquando, vt interrogarent, quem claues istæ in nostris regionibus vsum haberent, cum igitur ipsis responsum esset, conuenire eas aperiendis seris, quibus capsulæ & cistæ obfirmari solent ne ad eas aditus cuilibet pateat & accessus, nullas igitur afferri cupimus amplius dicebant, capsulis enim nostrarum mulierum minime sunt conuenientes, & nos iis aperiendis etiam clauibus hisce destituti, valemus optime. Atque huiusmodi quidem dicteriis facetiisque repudiare solent res illas quas sibi ex vsu non esse iudicant. Quod si autem acceptum quid & desideratum ipsis adferatur, tanto in illud emendum impetu feruntur, vt à verbis sæpe ad verbera, omnibus illud appetentibus, perveniatur. Sic enim exempli gratia, cum aliquando ipsis afferretur Diotæ quod genus ollarum ænearum est, coquendis cibis variis inseruiens, formam repræsentans catini alicuius, excipiendo lacti inseruientis, incrustatum intrinsecus stanno fusili ad obliterandum saporem æris, extrinsecus vero duobus annulis ansatum, tam ipsis gratum hoc ollarum genus erat, vt relictis mercibus aliis, his solis emendis operam omnes darent, quamuis propter ingentem copiam, qua tota fere regio expleta iam & referta est, vilescere quodammodo nuper inceperint. *Ollarum genus aliquod peculiare.*

Lusitani qui castellum *La Mina* adhuc tenent, vt & alii passim in ista regione habitantes, multas ab Hollandis merces redimunt, Mancipia enim sua auro instructa ad naues mittunt emptum pannum lineum laneumque, orbiculos item vitreos, & merces huiusmodi alias, quas postea circitoribus suis committunt, qui distrahendas aut cum rebus aliis permutandas, vicatim eas circumferant, Propolarum ita munere fungentes, qui à solidariis, Batauis scilicet negotiatoribus coëmptas merces, pluris distrahant, aut cum bobus seu vaccis, caprisque & gallinis, aut aliis rebus ad sustentationem sibi necessariis permutent. *Lusitani propolarum munere funguntur.*

CAP. XVI.

DE NOTITIA ET COGNITIONE MERCIVM QVÆ VALENT optima, quomodo item eas explorent, & quid mercedis famulis ex naui eas domum suam transportantibus dare soleant.

OLIM cum mercimonia in his regionibus penes Lusitanos solos essent, nulla permittebatur eis eligendi potestas, vt pro libitu suo hoc eligere, illudque repudiare potuissent, sed cogebantur acquiescere eo quod à Lusitanis porrectum accipiebant, sed postquam Bataui ad hasce regiones venientes mercaturam exercere cum incolis cœpissent, illud ius sibi paulatim, conniuentibus Hollandis sumpserunt, vt pro arbitrio suo quilibet, quod maxime sibi arrideret eligeret, vnde tam prudentes & negotiationis periti evaserunt, vt non modo vitiosum ipsis nihil obtrudi, sed ne vendi quidem aliquid possit, quod non aliquoties permutatum, ipsimet elegerint, mercium cognitionem parem fere cum Hollandis iam habentes.

Huic

Ad cognitionẽ mercium quomodo Æthiopes pervenerint.

Huic autem cognitioni causam dederunt ipsimet Hollandi crebris deceptionibus eos circumuenientes, tam in dimetiendo panno, quam in aliis mercibus variis, cum enim nō solum numerus orgyarum in panno & linteo sibi non constaret, sed & pelues pertusas, lebetes & sartagines reparatas & interpolatas, cacabos & ollas multo vsu iam attritas, linteum item putredine confectum, & cultros ferrugine adeo torpentes, vt integros vagina vix extrahere posses, ipsis pro auro suo obtruderent, sumpta inde occasione, de dolo imposterum cauendo, & mercibus explorandis cogitare cœperunt.

Exploratio mercium quomodo instituatur.

Explorationem igitur mercium, antequam eas emant, ita instituunt. Pannum ementes lineum, diligenter attendunt, attritumne sit & lacerum aut putredine confectum, itemq; an satis dealbatum, iustam suam obtineat latitudinem, nam linteum eximiæ expetunt latitudinis, cum eo vtantur ad præcinctoria corporibus induenda, quæ à pectore seu mā-millis ad genua vsque porrigantur. Pannum autem laneum ementes, soli eum obvertunt videntes solidusne sit & probe compactus, an vero tenui & raro textu vilis. Cultros vaginis priusquam emant extrahunt, ollas, sartagines, lebetes, pelues, cacabos diligentissime intuentur & perscrutantur, considerantes an etiam vsu attritæ & pertusæ sint, repudiantes quicquid vel foramen vel rimulam habet tenuissimam, aut sordibus leuiter pollutum, nitorem non obtinet legitimum.

Ferrum humi depositum pedibus suis permetiuntur, visuri, an iustam suam longitudinem habeat nec ne. Lebetes & cacabos in terram deponunt, fundo inverso & elevato, postea impactis in eum pollicibus summa virtute incumbunt, cedatne an resistat iniuriæ huic & violentiæ externæ exploraturi, repudiantes statim in quo vel minimum impressionis huius appareat vestigium. Orbiculos vitreos diligenter numerare solent, explorata seorsim vnaqualibet linea, vt sciant numerus vtrum sibi etiam constet, & nihil in eo desideretur, reposcentes si vel vnicum deesse orbiculum contingat.

Famuli mercatorum adventum præstolantes.

Cæterum peracta iam mercatura, cum emptas scaphisque suis impositas merces domum vehentes, littus negotiatores isti legunt. Constituti in littore otiosi quidam pueri, eorum adventum cum desiderio præstolantur, quod ipsum quidem etiam fieri solet, piscatoribus ex mari revertentibus, aut aliis vinum & res alias ab *Anta* vel aliunde advehentibus, Illos enim adventantes expectat semper non exiguus puerorum numerus, qui cymbis terræ iam appropinquantibus, in occursum tendunt, aquam oretenus sæpe ingressi, Apprehensa autem cymba in terram simul cum ea enatant, & arripientes postmodo partem aliquam mercium, ad ædes mercatoris vel piscatoris vel cuiuscunque advenientis alterius, deferunt, alii Cymbam ex aqua protractam, ad locum stationis deportant, vt ab imbribus defendatur.

Merces famulorum.

Hoc autem non frustra faciunt, sed mercedem inde postea repetunt, accipientes à piscatoribus quidem minutum pisciculum, ab illis qui vinum advehunt, haustulum vini, à mercatoribus vero exiguum auri granulum, si labor quem præstiterunt, non sit alicuius momenti, quod si vero bonam & necessariam navarunt operam, & laborem insumpserunt iusta mercede aliqua dignum, tantæ sunt impudentiæ, vt satis multum pro labore suo mercedis postulent, & vix sedari à mercatoribus possint.

Cap. XVII.

De portorio et vectigali quod mercatores pagani Regibus eius loci persolvere coguntur, tam pro transitu libero, quam pro mercibus & bonis suis coëmptis.

Reges huius loci non destituuntur suis publicanis, quos habent in littore maris passim habitantes, vbi naues peregrinas appellere sciunt, Horum autem officium est operam dare, vt quæ Regibus suis debentur vectigalia, recte colligantur, qui ne decipiantur, ipsis plerunque alium aliquem adiungere solent, nimirum vel filium vel cognatum suum proximum, qui attendat vt omnia recte & sine vllo dolo administrentur & peragantur, Iam de piscibus qui quotidie in mari capiuntur tributum & vectigal ita accipiunt, Mensuram habet metiendis piscibus convenientem, Hanc impletam, piscator liberam retinet, de reliquo autem quod superest publicanus Regis quinos semper accipit, si pisces sint paulo maiores, vel quantum sibi sufficere videtur, si sint minutiores, qui quidem è vestigio ad Regem per seruos quosdam deferuntur, qui singulis diebus ad ædes publicani allatum pisces conueniunt. *Publicani Regis in littoribus passim habitantes.* *Tributum de piscibus.*

Mercatores porro pagani, qui ex longe dissitis locis ad ciuitates maritimas mercatum veniunt, coguntur Regi ad quem portus iste quo tédunt, pertinet, pro transitu libero impetrando, exsoluere drachmas fere tres auri puri, siue multum velit emere, sive non. *Vectigal pro transitu libero.*

Cæterum peracta negotiatione, cum ex naui Batauorum ad littus mercatores isti pagani reuertuntur afferentes merces suas, quarum redimendarum gratia naues Batauorum conscenderant, adsunt statim publicani illi quos ipsi lingua Lusitanica, *La guarda*, hoc est speculatores regios vocant, acceptamque quartam sæpe bonorum partem, domum secum abducunt, & transferunt, vbi postmodum mercatores transigere cum ipsis coguntur, quam possint minimo, vt bona sua recuperent, si enim bona & merces quas emerunt, sextantem non excedant, & ipsi plus auri non expenderint, certum aliquod tributum & vectigal impositum non habent, itaq; cum publicano mercatoribus tunc agendum, & opera danda, quomodo eum, oblata aliqua bonorum parte, placare possint, hanc enim laboris sui recompensationem publicanus retinet, ita vt Regi rationem de ea reddere non teneatur. Quod si vero precium bonorum quæ Mercatores isti emerunt, sextantem auri superet, iam certum ipsis & præscriptum vectigal numerandum & exolvendum est. Sextans porro hic, ipsis *Benda* vocatur, & pro quolibet *Benda* auri in mercatura expositi coguntur pagani isti mercatores certum aliquod exsoluere pondus siue precium, quod thesauro & fisco Regis applicatur. *Tributum quod mercatores pagani pro bonis coemptis exsolvunt.*

Hoc quidem tributum & vectigal est paganis mercatoribus impositum, iam ad incolas siue subditos Regum quod attinet, qui in locis maritimis habitant, ipsi ab hoc onere liberi sunt, ita vt vectigalis & tributi nihil exsolvant, si mercatura eorum *Bendam*, vel sextantem non excesserit, At superato sextante, tantum de mercibus & bonis suis, quantum pagani persoluere coguntur. *Tributum illorum qui in locis maritimis habitant.*

Quod si forte quis furti accusatus, proximo quid eripuerit, aut adul-

terii reus, cum vxore proximi sui consueuerit, publicani huius & speculatoris Regij officium est, mulctam ei irrogare, & pro ratione delicti, in delinquentem animadvertere, sic si paganorum aliqui, armati ciuitatem maritimam ingrediantur, pœnam statim siue mulctam incurrunt, Nam & agricolæ fructus suos in ciuitatem venum asportantes, arma sua ad portam deponere, aut mulctam trium auri drachmarum persoluere publicano coguntur. Eadem ratione si quis aurum vitiauerit, & monetam adulterauerit, aut aliud quid deliquerit, pœnam evitare non potest, sed mulctam publicano præstare tenetur, quam ipse Regis sui nomine delinquentibus. pro ratione cuiusque delicti imponit, collectam autem pecuniam Regi postmodum affert singulis anni quadrantibus rationem administrati officii ei reddens.

Publicani officium, in Mulcta delinquentibus imposita colligenda.

Cap. XVIII.

DE MENSVRIS, PONDERIBVS, TRVTINIS, MONETARIIS, numeris & supputationibus ipsorum, quomodo nimirum numerare & ad calculos aliquid reuocare soleant.



PROPTER auaritiæ vitium quo omnes fere laborant, tenaces sunt admodum & ad aurum præcipue attentissimi, ita vt ne granulum quidem auri aut profundant aut temere expendant, nam & inter ponderandum si vel momentulum supra iustum pondus lanci impositum deprehendatur, illud repetunt, si quid vero deesse cernatur, ipsi egregie dissimulant, & ægerrime supplent. Hinc est, quod aurum suum trutina prius explorent, quam ad naues Batauorum proficiscantur, quod proxenetis bene adpensum tradant, quod ponderari denuo à proxenetis vel mediatoribus suis in naui Batauorum curent, & quod, si iusto leuius à Naucleris deprehendatur, illud lanci suæ rursus impositum, perscrutantur, defectum inquirentes, & an à pondere priori discrepet diligenter attendentes. Pondera habent ænea siue cuprea. Lances ex cupro rotundas & ad modum pilæ seu putaminis de malo aureo excauatas, chorda siue funiculo, ad iugum seu scapum alligant, lingula quadam tenuissima in medio lancium constituta, quæ cum foramine quodam insignita sit, transmisso filo quodam ferreo, aliquid ponderaturi lances alleuant, tamdiuque obversant donec lances huc illucque nutantes, consistant, æquatisque lancibus, examen seu lingula illa, neutro inclinet, verum æquo momento discrimen partiatur.

Tenaces auri.

Trutinæ & lances eorum.

Nostri sane mercatores Bilancibus & trutinis istis vti commode non possunt, At ipsi tam stricte aurum suum eis ponderare possunt, & tã sunt in appendendo auro exercitati, vt iustũ pondus nõ modo celerrime deprehendant, sed ẽt ita assequantur, vt ne minimũ quidem momentũ ipsis desit. Quod si nostris ipsis vtendũ sit bilancibus, lances prius & iugũ lingulamq; diligentissime intuentur, attendentes, an omnia recte disposita sint & vitio careant. Eadẽ ratione & pondera, mensurasq; & vlnas quibus Naucleri Batauorum vtuntur, sedulo inspiciunt, certisq; notis discedentes signant, vt reuersi animaduertant, corruptumne aliquid in eis sit & mutatũ, semper n. metuunt plures à Batauis vlnas & põdera plura, dolo malo aduectas esse, quibus circumuenti decipiantur, itaque non quiescunt, donec consideratis & perscrutatis ponderibus vlnis & mensuris omnibus, ne forsitan sibi imponatur sedulo prospexerint.

Exploratio trutinarum & põderum, quibus Batavi vtuntur.

Mercato-

Mercatores pagani, trutinas habent & bilances ex ligno factas, pro ponderibus autem, fabis vtuntur rubris & nigris, quarum pondus & valorem tam exacte nouerunt, vt præciſe alicui ſignificare poſſint, quot fabæ vtriusvis coloris *Peſos*, quot item *Benda* vnum conſtituant, *Benda* autem ipſis pondus maximum eſt, & ſextantem apud nos facit ſeu vncias duas. *Benda Aſſa*, idem eſt quod dimidium *Benda*, vnciam vnam valens, *Aſſuwa* facit duos *Peſos* cum dimidio. *Eggeba*, duos *Peſos* ſeu ſeſcunciam, *Sirou* vnum *Peſo* facit cum dimidio, *Enſanno* vero *Peſos* vnum eſt, noſtris ſemuncia vel dipondius *Quienta*, ſunt tres quartæ vnius *Peſos*. *Agiraque*, eſt *Peſo* dimidium, quod nos ſicilicum vocamus. *Mediataba*, quarta pars eſt vnius *Peſos* noſtri drachmam vocant, quodlibet enim *Peſo* ſemunciam valet vel dipondium, vnde conuenientia ponderum noſtratium cum illorum ponderibus apparet, Nam & nominibus fere conveniunt, niſi quod in libra eorum integra, *Peſo* vnum cum dimidio, ſex nimirum drachmæ noſtrates deſint, tanto enim minor ipſorum quam noſtra libra deprehenſa eſt.

Trutina & bilances paganorum.

Nomina ponderum quibus ipſi vtuntur.

Linteum ipſi duabus orgyis coniunctis remetiuntur, diſſectumque in medio, *Tectam* vocant, Orgyæ vero binæ iſtæ, vlnam vnam, cum duabus quartis efficiunt, In remetiendo autem linteo tam exercitati ſunt, vt præciſe ſtatim & exacte reſpondere poſſint, ſi interrogentur quot orgyas, tot vel tot vlnæ noſtrates conſtituant. Laneum pannum divendentes inuicem, in particulas oblongas, ſed quæ palmum in latitudine non excedant, diſſecant, vt cingulorum inſtar corpus eis præcingere poſſint, itaque cum vſum ipſis alium non præſtet, nullis vel orgyiis vel vlnis in diuendendo panno, opus habent.

Menſura vlnarum.

In numerando & ſupputando exercitati non ſunt, cum enim vltra denarium aſcendere debent, tot verba vnius numeri præcipitanter ingeminant, vt ſeipſos confundant, & finem numerandi facere cogantur. Videas vero etiam aliquos tamdiu numerando inhærere, donec quantum numerauerint obliuiſcantur, atque ita ad caput redire, & numerum denuo incipere cogantur. Cum igitur vltra denarium aſcendere non poſſint, ea iam apud ipſos conſuetudo obtinuit, vt denarium aſſecuti numerantes, ſubſiſtant, depoſitoque in manuum altera digito, telam exordiantur, ad denarium denuo alterum progredientes, quo aſſecuto, digitum alterum deponunt, hocque tamdiu repetunt, donec depoſitis omnibus digitis, vtraque manus in pugnum contrahatur, tunc enim centenarium ſeſe numerum aſſecutos intelligunt, & propterea eo vel creta vel carbone in menſa annotato, calculum præcedentem repetunt, donec ad finem eum tandem perducant, & numerum quem volunt, aſſequantur. Sed vocabula quibus numeros ſuos exprimere ſolent, ſub finem libri, Germanici invenies, vbi phraſeologiam & dictiones varias, in hiſce regionibus vſitatas annotauimus, adiectis ſimul aliis vocabulis, & modis quibus in *Chincka*, vbi commercia nuper etiam exerceri cœperunt, aliquid numerantes & ſupputantes vtuntur.

Arithmetici & numeratores mali.

Ratio numerandi.

Cap. XIX.

DE FORO, NUNDINIS ET MERCATIBUS IPSORUM, QUAE nimirum sit eorum ratio, quas item merces & quali precio ibi venum exponunt.

Nundinæ & mercatus septimanarum.



CERTOS habent & constitutos mercatus, quibus plus venum exponatur, quam alias fieri solet, nec tamen omnes ciuitates vno & eodem tempore mercatus suos habent, ita enim vna alteri impedimento esset maximo, sed ita ab inuicem distincti sunt vt si huius ciuitatis mercatus in hunc diem cadat, altera ciuitas mercatum suum alio die celebret, quo ordine & absque vllius incommodo siue detrimento, omnia peragantur. Hoc autem potissimum de mercatibus annuis siue nundinis intelligendum est, quas ipsi mercatus maiores vocant & per duos dies integros celebrant. Cæterum & singulis septimanis singulos habent mercatus, quibus agricolæ & mercatores pagani ad commercia & negotiationes suas varias exercendas conueniant, quæ quidem nunquam cessant, sed singulis diebus continuantur per totum annum, exceptis solum diebus festis, quorum singulis septimanis, ad similitudinem nostri diei Dominici, vnum obseruant, solenne habent, ab omnibus negotiis & laboribus in eo quiescentes.

Mercatuum ratio. *Calamus Indicus.*

Ratio vero horum mercatuum talis est, primo statim diluculo, agricolæ in forum procedunt, mel arundinis, seu calamos indicos afferentes, quos in fasciculos colligatos venum exponunt, qui cum cibus sint omnibus acceptissimus, ab incolis cum desiderio expetuntur, & summa celeritate distrahuntur. Interea dum viri circa calamos hosce sacchari occupantur, rusticæ etiam mulieres adueniunt, fructus & alia afferentes, sic enim alia vas aliquod, (ipsis *Cabas* est) malis aureis, medicis item & citreis refertum, alia *Bannanas, Bachovens, Petatos, Indiamas*, & fructus alios, Tertia frumentum, Milium nempe indicum, *Mays, Manigette, Oryzam, &c.* asportant, Quædam gallinas, & oua, aliæ panes & res alias ad sustentationem huius vitæ necessarias afferunt, vendentes eas non incolis tantum sed & Hollandis qui quod necessarium est, emptum veniunt, naviculis suis in terram delati.

Fructus & frumenta. *Gallinæ.* *Panes.*

Merces Batauorum.

Sed & qui in maritimis habitant ciuitatibus, merces suas venum exponunt, quas nimirum à Batauis emerunt, nempe pannum lineum, cultros, orbiculos vitreos leuigatos, specula, acus, armillas, cingula ex panno varii coloris parata, & id genus alia. Alii pisces afferunt, quos agricolæ & rusticæ præsertim mulieres, auidissime redimunt, ad ducenta sæpenumero miliaria eos, vt & merces alias portantes, vt aliquid inde lucrentur & quæstum faciant.

Pisces.

Rusticæ Mulieres lucrosæ.

Rusticæ hæ mulieres ad rem admodum sunt attentæ, & negotiationibus suis sedulo inuigilantes. Videas enim aliquas itinere 5. vel 6. miliarium, singulis diebus ad mercatum venire, asinorum instar onustas, infantem enim à tergo dependentem habent, & onus non exiguum à fructibus variis, in capite portant, quibus divenditis, statim pisces & res alias alibi distrahendas redimunt, vt ita æque interdum grauiter onustæ à foro iterum discedant.

A tributo liberæ.

Liberæ sunt ab omni vectigali & tributo ita vt nihil pro rebus quas gestant Regi pendere & exoluere necesse habeant. In itinere autem

si *Fetisso* ipsis occurrat, hoc est aliquid quod pro numine habent, ei comedendum aliquid de fructibus & frumento suo proiiciunt, decimas ita de bonis suis dare se putantes. Solæ raro proficiscuntur, sed plerunque cum comitatu iter faciunt; canendo & confabulando itineris aliquo modo sibi molestiam lenientes.

Vinum. Circa meridiem rustici alii adveniunt, vinum asportantes, idque in ollis diversa quantitate, quidam enim vnam, quidam plures adferunt, quantum nimirum per noctem singuli collegerunt. Quamvis autem armati incedant, ascias nimirum siue secures cingulo immissas, & missilia aliquot siue hastulas in manibus gestantes; arma tamen sua ante forum deponunt, repetentes ea postmodum vbi vino iam diuendito domum redire statuunt. Cæterum qui vinum hoc vendunt, legitimum obseruare tempus norunt, Non enim adveniunt, nisi finitis inter Hollandos & Nigritas negotiationibus, Tunc enim reuersi ex nauibus Batauorum proxenetæ & nautæ, acceptam à mercatoribus paganis mercedem, & *Dache* siue donaria quæ à Batauis acquisiverunt, vino statim permutant, illudque confidentes potitant.

Vini caritas. Porro vinum hoc emere volentes, auro præsenti instructos esse oportet, plerunque enim auro illud venditur rarius linteo. Et aurum quidem Oenopolis istis admodum præcise appendunt, cum ipsi vinum etiam suum satis care divendere soleant; si enim multos videant adesse emptores, qui illud expetant precium, statim conduplicant, vt tanti illud sæpe vendatur, quanti vinum hispanicum venire in nostris regionibus solet. Vnde autem & quomodo paretur, alio loco dicemus.

Loca in foro rebus quibuslibet peculiariter assignata. Cæterum rustici hi omnes vt & mulieres, qui ad mercatum ita proficiscuntur, pro fructibus & rebus quas venum apportant, peculiarem & destinatum sibi locum habent, quo sese cum rebus suis conferant. Nam in forum procedentes, qui fructus varios afferunt ad locum fructibus hisce destinatum concedunt, qui calamis indicis onusti ingrediuntur, locum è regione alium occupant, Oenopolis, pistoribus, piscatoribus, & aliis similiter certus locus assignatus est; vt ita confusio vitetur & res quælibet suo convenienti loco facile inveniantur.

Vinum peregrinum. Quod autem vinum illud de Palma attinet, quod aliunde per mare nempe advehitur, illud quidem in forum non profertur; sed cum plerunque circa vesperam nauiculis suis adueniant, quo tempore, peracto omni labore populus passim otiosus obambulat, fit, vt facile emptores inueniant, Nigritis illis tãto ardore & desiderio in littore maris illud expectantibus, vt quod advehitur omnibus nõ sufficiat, & turbæ haud raro exoriantur maximæ altero alterum præuertente; & vasculum ex manibus quasi eius vi maxima extorquente.

Moneta & pecunia qualis. Moneta vel pecunia certa non vtuntur, sed ementes aliquid, aurum plerunque venditoribus appendunt, Quod si vero modicum illud sit, nec tanti precii, vt pondus aliquod auri attingat; exiguis auri particulis, quas quadrangulari forma factas, scrupulumque vel granum auri valentes, *Kacrauen* vocant, venditoribus satisfaciunt. Consuetudinem autem parandi hasce particulas siue *Kacrauen* à Lusitanis habent, Olim enim meris bonorum permutationibus, aliquid ementes vtebantur, monetæ vsum plane ignorantes, sed cum Lusitani postmodum in Castello *La Mina* habitantes, pecunia, qua fructus &

 alimen-

alimenta varia redimerent, deſtituerentur, modum parandi haſce particulas excogitarunt, quibus pecuniæ loco vterentur, vnde adhuc hodie qui caſtello *La Mina* propiores ſunt, hiſce particulis magis & frequentius in emendo vti cernuntur, quam alii, vbicunque etiam habitantes.

Quibus vero Luſitanorum commercia prorſus ſunt incognita, hi & monetæ & particularum iſtarum vſum plane etiam ignorant. Et cum Batauis quidem contrahentes, aurum rude afferunt quemadmodum illud ex terra colligitur, artificium nempe auri & liquandi & purgandi ignorantes. Ab aliis vero aliquid ementes, præſertim ſi minoris precii ſit quam vt auri valorem aſſequatur, monetæ loco, haſtulis vtuntur longitudine digiti ex ferro factis. Et hæc quidem monetæ ratio eſt per vniuerſum *Guineæ* littus vſitata.

CAP. XX.

DE DIEBVS FESTIS ET VARIIS EORVM SVPERSTItionibus, itemque de numinibus & idolis eorum, quæ Fetiſſos *vocant.*



VAMVIS omnes in vniuerſum per hanc regionem habitantes, Luſitanis exceptis, feri ſint, inculti, agreſtes & barbari, ita vt neque libros habeant, literasue intelligant, neque mores norint, conſuetudinesue habeant, laude & memoratu dignas, verum tamen eſt & negari non poteſt, eos ſex hebdomodæ diebus, quibus negotia & opera vocationis peragunt, finitis, ſeptimo die ab omni labore quieſcere & ceſſare, habentes eum pro ſabbatho vel die feſto ſingulis ſeptimanis certo & ſtato, vnde etiam *Dio Fetiſſos* ipſis nominatur, quod idem ſonat ac dies dominicus ſiue feſtus. Hoc tamen notandum eſt, non obſeruare eos primum nobiſcum diem, neque ſeptimum cum Iudæis, ſed tertium in ſeptimana, qui nobis eſt dies Martis. Quam vero huius rei cauſam habeant, cognoſcere hactenus nondum licuit.

Sabbatum vel dies feſtus in ſeptimana quis.

Sanctum autem omnino & ſolennem hunc diem habent, ita vt in eo neque piſcatoribus liceat piſcatum exire, neque agricolis & mulieribus ruſticis quicquam in forum portare. Ruſtici Oenopolæ vinum hoc die nullum proferunt, aut publice divendunt, ſed collectum ex arboribus Regi tradunt & offerunt, qui illud veſperi inter aulicos ſuos ebibendum diſtribuit. Verum licet hoc die ab omni labore ceſſent, attamen, qui in maritimis habitant ciuitatibus, à commerciis Batauorum non abſtinent, ſed ea continuantes, hoc æque vt aliis diebus ad naues Batauorum advehuntur.

Die feſto à laboribus abſtinent.

In medio foro menſam habent quadratam, quatuor columnis, quarum altitudo eſt duarum vlnarum, impoſitam, cuius ſuperficies plana, ex ſtramine & arundinibus firmiter invicem contextis conſtat, Hanc in circumferentia multis bullis & orbiculis ſiue annulis ſtramineis exornant, quos *Fetiſſos* vocant, impoſitumque in eam frumentum & oleum de palma, vel aquam, Numini ſuo offerunt, quod eo veſci omnino perſuaſum habent, ignorantes ab auibus & volatilibus cæli illud in abſentia ſuà clam abſumi, Reverſi autem cum quæ impoſita fuerant, abſumpta animaduertunt, oleo menſam vel aram ſuam perunctam, frumento ruſus

rursus alio & potu nouo onerant, sacrificium se hoc modo præstare, Numini suo gratissimum existimantes, cui alias fame pereundum foret.

Sed & sacerdotem quendam habent, quem *Fetissero* h. e. ministrum Numinis sui, vocant. Hic singulis diebus festis in forum prodit, statutoque in medio mensæ siue aræ suæ sedili, considet, populo sese promiscue omni cuiuscunque sexus sint & ætatis, circa ipsum congregante, quibus conuenientibus omnibus & considentibus, ipse orationem incipit, satisque prolixam ad eos concionem habet, quam attentissime audiunt, Qua de re autem verba faciat, Batauorum nemo adhuc cognoscere potuit, quamuis enim & ipsi astantes diligenter haud raro attenderint, sensum tamen inde percipere nullum potuerunt, sed neque ab vllo quicquam cognoscere licuit; interrogati enim hac de re, pudore suffusi, vel parum vel nihil respondent. *Sacrificus Fetissero.* *Conciones.*

Animadversum autem non semel est, Ollam quandam prope sacrificum hunc constitutam esse aqua plenam, cui lacerta innatet, mulieresque infantes quosdam adduxisse, quos aqua ista aspergeret, quo facto domum reuersæ sunt, vnde aliud quid colligere Bataui non potuerunt, quam vnguentum quoddam illud esse, quo infantes ab incommodis & periculis quæ à *Fetisso* seu Numine suo ipsis metuenda sunt, bonum enim & malum, esse, nocere item simul & prodesse *Fetissum* seu Deum suum arbitrantur, præseruent quasi & tutos reddant. *Ritus aspersionis.*

Finitis autem ceremoniis & sermone absoluto, *Fetissero* vel sacrificus ille surgens, mensam siue aram liquore quem in olla secum habet totum inspergit atque perungit, Interea vero verba quædam ignota, simul omnes, magno clamore pronunciant, plausumque manibus facientes, clara tandem voce exclamant Iou, Iou, finem ita concioni imponentes.

Corpori suo passim multos ex stamine factos annulos siue bullas alligant, tutos sese illis reddi existimantes ab omni malo & incommodo sui *Fetisso*, ne scilicet ipse vllum eis inferre incommodum eo die possit, Mane vbi strato surgentes corpus suum aqua abluerunt, faciem suam illuminant multis lineis ex terra alba, cretam apud nos æmulante, idque in honorem sui *Fetisso*, loco orationis vel precationis alicuius matutinæ illud habentes, Cibum capere volentes primam buccellam *Fetisso* suo largiuntur, similiter & primum vini haustulum, aspergentes nimirum eo annulos istos stramineos à corpore & pedibus suis dependentes. *Ceremonia varia ad cultum numinis sui pertinentes.*

Piscatores cum parum piscium forte capiunt, aqua piscibus non vsq; adeo iam abundante, existimant *Fetissum* suum iratum, pisces ne caperentur prohibuisse, nec quicquam amplius eis daturum, Lugentes igitur & plangentes *Fetissero* suo auri paululum largiuntur, orantes simul eum, vt coniuratum *Fetissum* cogat pisces remittere, quo copia eos maiori capere imposterum liceat. Hic postea, cum vxoribus suis quas habet omnibus, eleganti vestitu ornatis, ciuitatē circumambulant plorantes pectusq; suū tundentes, & cōcussis manib⁹ ingentē strepitum facientes, vt luctus non vulgaris speciem præbeant. Ad littus autem maris venientes, ramos aliquot ab arboribus decerptos collo circumdant, cumq; has arbores numina sua esse existiment, quæ pisces ipsis largiantur, nominantes eas propterea *Fetisso Dasianam*, atreptum *Fetissero* tympanum, ipsis *Quomodo numina irata placentur.* *Arbores pro numinibus habentur.*

grati-

gratificaturus pulsat. Tandem ad vxores in littore maris stantes conuersus, expostulans quasi contendens cum eis loquitur, abiectoq; in mare frumento & rebus aliis vario colore illuminatis, quasi cibum *Fetisso* obtulissent discedunt.

Sacrificium Regis ad placandum numen.

Si forte mercatorum paganorum decrescit numerus, & Rex animaduertit aliquid de vectigali suo decedere, vnde parcius viuere cogatur, ad arborem sese confert quam pro *Fetisso* suo habet, sacrificium ei offerens, quo Deus suus vescatur, postea ablegato *Fetissero* quærere ex eo iubet, breuine plures adventuri sint nec ne. Qui cum vxoribus suis arborem accedens cineres primo in alvearii vel pilei alicuius formam accumulat, decerptumque ab arbore ramum, eis inserit, deinde haustam ex pelui aquam in ramum istum expuit, & cum vxoribus suis nescio quid locutus, expuitionem repetit, Tandem post multas ineptias, facies suas cineribus inficiunt, & quæstionem Regis clara voce pronunciant, quo facto vocem audire dicuntur, Diabolo ipsis ad quæstionem respondente, Itaq; accepto hoc modo responso ad Regem revertuntur, exponentes ei quicquid responsi à *Fetisso* suo acceperint.

Diabolus ad interrogata ipsis respondet.

Infantes, vt supra quoque dictum est, varie exornant, multo stramine in pilæ formam conglobato, annulis item stramineis & aliis rebus à corporibus ipsorum suspensis, quæ omnia *Fetissos* vocant & multis conducere casibus, quibus infantes alias expositi sunt, arbitrantur.

Ceremoniæ in funeribus vsitatæ.

Mortuo inter ipsos aliquo, novum statim *Fetissum* aliquem faciunt, orantes eum, vt defunctum istum ad alterum mundum iam proficiscentem comitetur, & ab omnibus iniuriis molestiisque in itinere tueatur, itaque convenientibus amicis & cognatis omnibus gallinam primo mactant & ad coquendum præparant, postea in angulo ædium defuncti cōsidentes, omnes quos defunctus habuit *Fetissos* in medium prolatos, ordine disponunt, maximum quemque medio loco ponentes, & fabis, pisisque funiculo ex arborum corticibus facto, sphærularum precatoriarum instar transmissis, exornantes. Hoc facto sanguine Gallinæ, *Fetissos* aspergunt, & allatas herbas quasdam ex agro, virides, torquis instar à collo suspendunt. Interea dumviri his ineptiis sunt intenti, elixam mulieres gallinam in patina afferunt, inter medios *Fetissos* eam deponentes.

Ratio faciendi Fetissos.

Tunc autem vir quidam veneficia & incantationes suas exorditur, multum enim locutus, haustam ore aquam vel vinum de palma, in *Fetissos* illos expuit, decerptaque de herba viridi à collo suo suspensa, duo vel tria folia, in formam pilæ alicuius convoluit, quam pilam duobus digitis comprehensam, per pedes hinc inde traducit, *Auzy* suum quod salutandi verbum est, ingeminans, salutem quasi *Fetisso* suo dicturus, cumque liquorem ex pila hac super *Fetissos* expresserit, eam deponit, pilam nouam ex aliis quæ adhuc supersunt foliis, componens, & ceremonias modo dictas toties repetens, donec omnis, quam à collo habet suspensam, herba conteratur & in sphærulas eiusmodi seu pilas redigatur, Tunc sphærulis illis omnibus in pilam vnam, pugni magnitudinem obtinentem, conglobatis, faciem suam illis inficit, vt ita ex hac etiam herba, *Fetisso* fiat. Quo facto defunctus quietem assecutus dicitur, ipsique collectas ineptias omnes ad futurum vsum reponunt. Hos enim *Fetissos* inprimis sanctos habent, & ad defensionem vitæ bonorumque suorum multum facere arbitrantur, vnde & in bellum forte profecturi eos induunt, collum, brachia, pedes & vniuersum corpus iis exornantes, vt nimirum eorum

eorum ope conseruati spicula hostium effugiant, & salui domum reuertantur.

Cæterum inter *Fetissos* & numina sua etiam avem quandam numerant, quam Ardeam Stellarem aliqui, à punctis, quibus tanquam stellis eleganter picta visitur, aliqui Taurum, quod mugitum quodammodo bouis imitetur, vocant. Iter enim aliquo facturi, si forte vocem & mugitum huius auis audiant, ingentem concipiunt animo lætitiam, *Fetissum* eam esse dicentes, qui iter facientibus defensionem & patrocinium suum promittat, ne in periculum aliquod incidant, sed salui & incolumes domum reuertantur, Quamobrem ad locum eum, vbi vocem eius audierunt, vasculum aqua plenum cum granis aliquot frumenti deponunt, vt quod edat bibatque ibi inveniat, vnde multa passim in syluis & agro disposita eiusmodi vasa videas, quibus milium vel aliud frumentum adiectum est, in cibum nempe & potum suo *Fetisso*. *Aves pro numinibus habentur.*

Quemadmodum autem inter aues, sic etiam inter pisces quosdam *Fetissos* habent, Quosdam enim omnino non capiunt, vt Thynnos, *Fetissos* seu numina quædam marina eos esse dicentes. Illud vero piscium genus, quod Xiphias & Gladius Plinio dicitur, capiunt quidem, sed in cibum nisi Xipho siue gladio eius abscisso, non assumunt, quem arefactum pro insigni *Fetisso* habent. *Pisces pro numinibus habentur.*

Quidam proceras arbores pro numinibus colunt, & ad eas aliquid scire expetentes confugiunt, vbi Diabolus quidem ipsis sæpe in forma nigri alicuius canis apparet, vel inuisibili specie ad interrogata respondet. *Arbores pro diis habentur.*

De religione sua interrogati talia sæpe proferunt, quæ nec in speciem quidem cum religione consentiunt, sed ab ea prorsus abhorrent. Quod si vero absurditatem istam mireris, illud statim ingerunt, sic à *Fetisso* suo se edoctos, qui hoc & illud ita obseruari & fieri iusserit, quamvis deceptos sese plerunque deprehendant, & in castris Diaboli militantes, stipendium etiam à Diabolo accipiant, idque non immerito, quid enim ab eo qui mendax est & homicida, aliud expectes? Itaque de eo non modo raro verba faciunt, sed etiam trementes & stupentes, ad solam nominis eius mentionem exhorrescunt. *Diabolū ipsum colunt.*

Montes ibi reperiuntur altissimi à creberrimis tonitruum fulgurumque & imbrium tempestatibus admodum infesti, vnde cum sæpe damnum piscatores & alii sentiant non exiguum, iratum Deum suum, cibumque & potum exposcere arbitrantur, Itaque montes istos pro Diis habentes, cibo & potu vacuos esse non sinunt, nec iter etiam facientes, facile prætereunt, quin ascendant prius, & cibi aliquid potusque ibi deponant, secus enim si faciant in perpetuo sunt metu, iram Numinis sui & vindictam semper timentes. Facile enim sibi aliquid persuadent, & periculum vel vigilantes somniant, nec à præconceptis opinionibus reuocari possunt. *Montes pro diis habentur.*

Cæterum his superstitionibus de *Fetisso* suo obstinati admodum inhærent, quamuis pudore suffusi, non facile præsentibus Batauis, qui ineptias eiusmodi ridere solent, *Fetissum* amplius facere præsumant, optandum igitur esset, vt illuminati diuinitus, abiectis superstitionis hisce densissimis tenebris ad lucis & veritatis agnitionem tandem aliquando perducerentur. *Pertinacia in superstitionibus.*

Cap. XXI.

DE IPSORVM RELIGIONE ET FIDEI ARTICVLIS, QVID nimirum de Deö & æterna vita sentiant, & quod quidam ibi reperiantur religionis Christianæ non plane expertes.

De religione ipsorum non facile quid cognosci potest.

QVAMVIS supervacaneum plane & intempestiuum videatur, de religione eorum peculiarem suscipere tractationem, præsertim cum ab eis vix certi aliquid hac de re intelligi & cognosci possit, his nimirum qui superstitionibus hisce prorsus adhuc dediti sunt, nihil hac de re dicentibus, illis vero, qui cum Lusitanis multum conuersantur, Christianos sese esse profitentibus, qui à *Fetisso* & impietate ista prorsus abhorreant, attamen cum in familiari colloquio, modo hoc modo illud Bataui ab ipsis intellexerint, operæ precium me facturum putaui, si id quoque quodcunque tandem est, Lectoribus hic communicarem.

De altera vita.

Accidit enim non semel, vt Bataui cum ipsis conuersantes & conferentes, inter alia eos de religione sua interrogarint, quid nimirum de hoc vel illo religionis capite sentirent, vtpote primo, quo morientes migrent? & quid de extremo iudicio vitaque æterna statuant? Ad hoc respondebant, se extremum iudicii diem prorsus ignorare, sed vita semel defunctos, mortuos plane esse, & in alium quidem mundum migrare, At quomodo & quo, illud vero se nescire. Hoc tamen affirmabant aliam esse rationem hominum, & aliam pecorum, sed qualis esset eorum post mortem conditio plane ignorabant, nescientes simul an locus ille quo transferrentur supra vel infra terram esset, nihilominus tamen de supellectile solere se partem aliquam defunctis assignare dicebant; vt quocunque tandem venirent, haberent quod ad vsus quotidianos necessarium sit.

Hinc patet credere quidem eos aliquo modo, vitam post hanc aliam superesse, sed resurrectionem mortuorum prorsus ignorare, existimantes se simul atq; moriuntur in mundum alterum transferri, vbi varia supellectile, & rebus aliis perinde vt & in hoc mundo indigeant, vnde si aliquid forte perdant, eiusmodi statim concipiunt animo cogitationes, venisse forsitan aliquem amicorum suorum ex mũdo altero, & illud abstulisse, cum eo carere diutius non potuerit.

Quid de Deo sentiant.

Cæterum de Deo interrogati quis nimirum Deus ipsorum esset, respondebant Deum suum nigrum esse & minime bonum, qui multis eos malis afficeret & damni eis inferret plurimum. Audientes vero ex Batauis Deum nostrum non nigrum sed album esse, & bonum imo optimum & fontem omnis boni, à quo omne bonum proficisceretur, & qui multis nos subinde beneficijs afficeret, cum præsertim & à cælo descendisset, vt nos à peccatis liberatos saluaret, fuisse quidem eum à malis quibusdam interfectum, sed potenter iterum à morte resurrexisse inq; cælum ascendisse vt nos in hac vita defenderet & tueretur, post hanc autem vitam ad se in cælum reciperet, vbi æterna cum eo perfrueremur lætitia, nec cibo nec potu, nec rebus ludicris aliis indigentes.

Hæc & similia audientes, mirati admodum, felices nos prædicabant, quod Deus nobis tanquam filiis suis omnia patefaceret, & nihil ab ipso impetratu nobis esset difficile.

Quidam vero murmurantes dicebant, cur autem Deus nobiſcum non ita agit? cur non ſimiliter & nobis omnia reuelat & largitur, cur non linteum pannumque & ferrum, vaſa item æneа & merces alias nobis æque ſuppeditat? quibus à Batauis reſponſum eſt, provenire ea quidem omnia & nobis communicari à Deo, ſed Deum tamen interea ipſorum quoque minime oblitum eſſe, qui quamvis verum Deum iginorarent, multa tamen ab eo beneficia & commoda accepiſſent, ſic enim auro eos præ cæteris à Deo donatos eſſe, ſic vinum de palma arbore ipſis divinitus ſuppeditari, ſic varios fructus & frumenta, gallinas item, boves, & capras, multaque alia ad vitæ huius ſuſtentationem pertinentia, à divina liberalitate & bonitate ipſis communicari. Verum hoc ipſis perſuaderi non potuit, nullo enim modo hæc à Deo proficiſci credebant, Aurum, dicebant, non Deus, ſed terra nobis ſuppeditat, ex qua illud eruitur: Milium, Oryzam & frumenta alia, terra ſimiliter profert & multiplicat, ſi ei iuſto tempore committantur, quod quidem ſine labore etiam noſtro perfici non poteſt. Fructus porro varios ab arboribus provenire affirmabant, quas à Luſitanis acceptas, ipſi plantarint, ſic hædos à capris, agnos ab ovibus, procreari, Mare piſces ſuppeditare, Ad hæc vero omnia laborem & induſtriam ſuam requiri, ſine qua nihil haberent, ſed vel fame ſibi moriendum eſſet, convincere ſcilicet hoc modo volentes à Deo hæc minime proficiſci, nec Deum eſſe, ex cuius liberalitate iſta acciperent. *Cæcitas in rebus divinis.*

Quod ad pluviam attinet, illam à Deo quidem eſſe negare non poterant, quemadmodum hoc quoque fatebantur multorum ſeſe iam bonorum quæ à Chriſtianorum Deo proveniſſent fieri participes, & pluviam non ſolum arbores fœcundas reddere, ſed vt aurum etiam maiori copia invenirent efficere, veruntamen longe hæc minora eſſe, quam quæ Batauis diuinitus obtingerent dicebant, merces enim quas Batavi adveherent, vtpote linteum & vaſa omnis generis alia, iam paratas ipſis à Deo obvenire putabant, ita vt vel in agro eas colligere magna copia poſſent, cum ipſi contra nihil ſine labore ſuo haberent, Itaque longe Chriſtianorum conditionem ſuæ præferendam concludebant. *Pluvia donum Dei.*

Accidit autem haud raro, vt Batavis vel in foro vel in domiciliis ipſorum exiſtentibus, & cum eis contrahentibus, ſubita coorta tempeſtate, tonare & fulgurare cæperit, frementibus vndique ventis & ſubverſionem interitumq; quaſi mortalibus præſentiſſimum minitantibus, cum igitur ipſi metu quaſi exanimati viderent, Hollandos nullo modo perterrefactos, in plateis ſine metu ambulare & rerum ſuarum ſatagere, mirati admodum eorum ſunt audaciam, neque enim quenquam olim putarunt ſine extremo vitæ periculo ſævientibus procellis, per plateas ire & tempeſtate conflictari poſſe, itaque ſtudioſe admodum, exorta aliqua tempeſtate, domi ſeſe continent, idque eo magis, quod aliquando quoſdam tempeſtatum pericula aſpernantes, periiſſe prorſus, & à Diabolo, Deo vt loquuntur ſuo, abreptos, nunquam rediiſſe, meminerint, Nemo igitur ex illis eſt, qui tempeſtates ſuſtinere aut velit aut poſſit, ſed omnes ventorum pluviarumque maxime reformidantes periculum, ſi tonitrua forte exaudiant, latebras quibus ſe abſcondant abditiſſimas quærunt, Quidam vero cum tonare & fulgurare incipit, cælum intuentur, vbi Chriſtianorum Deum habitare & reſidere norunt, vocantes eum *Iuan Goëmain.* *Tempeſtates vti metuant.*

Sed nec hoc prætereundem eſt, Batauos aliquando quendam ex Nigritis illis captiuum quaſi in naui detinuiſſe, propterea quod aurum adulteratum pro bono & puro obtrudere eis voluerat, Hic ſingulis diebus cum ſtrato ſurrexiſſet, faciem abluebat, hauſtam cauis manibus aquam trans caput proiiciebat, multumque locutus, in aquam expuebat. Interrogatus igitur cur hoc faceret; reſpondebat, ſe à *Fetiſſo* ſeu Numine ſuo pluuiam hoc modo exorare, vt ab amicis ſuis, aurum maiori copia inuenientibus; eo citius ex vinculis liberaretur. Quæ quidem ſuperſtitio inepta ſatis erat & ſtolida, quaſi aquarum effuſione Deum inuitare poſſet, vt idem faciens, aquas in terram præcipitaret & plueret.

Circumciſio & ceremonia Mahometica.

Infantes ſuos Iudæorum more circumcidunt, conſuetudinem Turcarum ſiue Mahometiſtarum ſecuti, quemadmodum multas præterea, Mahometiſtarum quæ ſapiunt ſuperſtitionem, ceremonias habent alias, quarum hæc quoque vna eſt, quod pernicioſum exiſtimant & reprehenſione digniſſimum, ſi quis expuens, ſputum in terram proiiciat, ſed de his & ſimilibus prolixe hic diſſerere inſtituti noſtri non eſt.

Quidã ad Chriſtianam paulatim religionem accedentes.

Quamuis autem eiuſmodi ineptiæ paſſim conſpiciuntur, & maxima pars ſuperſtitionibus hiſce eſt dedita, non tamen omnes eius eſſe opinionis, dici vere & affirmari poteſt, ſiquidem poſt Luſitanorum aduentum, multi per quotidianam cum eis conuerſationem, non linguam ſolum, ſed & mores meliores diſcere cæperunt, & iam commercia cum Batauis exercentes, paulatim ineptias iſtas odiſſe, & ad Chriſtianorum pietatem accedere incipiunt, vocabula quædam pia & religionem noſtram redolentia, ſermoni ſuo ſubinde intermiſcentes, præſertim cum audiant ſæpe ex Batauis, res eſſe ludicras, inutiles, & Deo minime acceptas, quas ipſi tam ſollicite vrgeant, & obſeruent.

Cum igitur in ea paſſim ſint ſententia, Batauos Dei filios eſſe, multi iam reperiuntur, qui vera eſſe credunt, quæcunque de fidei Chriſtianæ articulis diſſerentes eos audiunt, ad veritatis ita agnitionem paulatim peruenientes, quamuis animus eorum lubricus admodum ſit, & in omnes horas mutabilis, in præconceptis ſcilicet ſuperſtitioſis ſuis opinionibus tam obduratus & excæcatus quaſi, vt in viam meliorem perduci difficulter poſſit, præſertim cum nemo etiam ſit, qui linguæ iſtius gnarus erudire eos in veritate & docere ſufficienter poſſit.

Æthiopes in Chriſtiana religione probe verſati.

Cæterum quod ad Æthiopes attinet, qui cum Luſitanis in Caſtello *La Mina* habitant, religionis Chriſtianæ imperiti non ſunt, ſed egregie de Deo & rebus diuinis verba facere nouerunt, ſic enim in aliquos ſeſe incidiſſe Bataui narrant, qui de natiuitate Chriſti, de paſſione, morte, reſurrectione, aſcenſione ad cælos, itemque de Cæna Domini & aliis religionis Chriſtianæ capitibus pie & erudite loqui potuerint. Quin & vnus aliquando inuentus eſt, qui linguam Luſitanicam legere & ſcribere perfecte potuit, inque S. literis adeo verſatus fuit, vt de religione cum Batauis conferre, & ſi quando quid pontificiis contrarium, quorum opinionibus à Monacho quodam Luſitano, cui in caſtello *La Mina* cohabitauerat, imbutus erat, proferrent, ipſe refutationem eius ex Euangeliſtarum & Apoſtolorum ſcriptis, ſuſcipere non dubitaret. Vnde videre eſt, ingenium quidem eis non deeſſe, quo ad veritatis agnitionem pertingerent, modo haberent aliquem à quo in capitibus pietatis, & religionis Chriſtianæ principiis recte erudirentur. Quo magis etiam optãdum,

dum, vt talia Deus ipsis media largiatur, quæ ad propagationem verbi sui, & salutem ipsorum facere & prodesse possint.

Cap. XXII.

De Ædificiis et domiciliis, oppidisque & pagis ipsorum, quomodo nimirum extruantur, & qualibus plateis ab invicem discernantur.

Ædificia habent vel tuguria potius, nullius precii, nam & haras alicubi apud nos invenias ædificiis ipsorum longe meliores & præstantiores. Cum tabernis tamen militum excubias in propugnaculis agētium comparari aliquo modo possunt. Stipites arborum quatuor, ad quatuor angulos seu cardines, in terram nonnihil defossas erigunt, impositasque ipsis trabes, funiculis ex arborum corticibus factis, fortiter alligant, ferulas postea denso agmine in terram ab omni parte insertas, asseribus siue plancis tabularum ita constringunt, vt ne manui quidem transitus vllus pateat, parietes ita cratitios ex cannis, ferulis cratibusque implexis facientes, quibus ita contextis, terram, ex agro lutei coloris afferunt, eamque affusa aqua subactam, argillæ instar, parietibus, ad pedis dimidii latitudinem vndique insternunt, quæ terra postmodum calore solis arefacta, vel lateres nostros vincere & superare duritie possit. Sed & ex terra ruffa vel alterius cuiusdam coloris, massam præparatam aliam parietibus hisce intrinsecus extrinsecusque obducunt, vt picti quodammodo & colore illustrati appareant, Non parum enim de illuminatis eiusmodi ædificiis apud peregrinos & exteros gloriantur, & sibi ipsis admodum placent, si tuguria eiusmodi illustrata inhabitent, quæ etiam Batauis in terram forte descendentibus iactabundi statim commonstrant. *Ædificia vel tuguria ipsorum quomodo construantur.* *Parietes.*

Porro opercula duo ex foliis arborum quadrangulari forma faciunt, quæ tecti vicem suppleant. Folia enim istarum arborum, quæ vinum, quod de palma vocant, proferunt, sibi inuicem instrata probe compingunt, vt aquæ resistentia, pluuiam nullam transmittant. Hæc opercula ab vtraque ædificii parte trabibus transversis alligant, ita vt ianuæ alicuius vel fenestræ instar aperiri vel elevari & remitti rursus possint, Cælo enim existente sereno vt radiis solaribus ingressus pateat, tectum illud elevant, baculo cui innitatur, ei substrato, quod tunc quidem alarum quasi duarum speciem refert. At contra cælo nubiloso & pluuias colligente, tectum remittunt, vt à tempestatum & pluviarum iniuriis tuti ibi delitescere possint. *Tectum ædificiorum ex foliis arborum.*

Pro ingressu foramen aliquod quadratum constituunt, cui ianuam apponunt cratitiam ex cannis cratibusq; contextam. Hæc non pensilis est à cardinibus, vt foras proiiciatur, sed versatilis, vt retromeare in pariete possit, clausam vero nullo obice muniunt, sed funiculo ad parietem alligant. Pauimentum planum admodum faciunt, & terra ruffa illustrant, vt lapidibus quasi stratum appareat. In medio autem domus fossam plerunq; efficiunt, cui vasculum aliquod vini de palma imponant, cum potando sese exhilarare est animus. *Ianua.* *Pavimentum.*

In ædificio hoc, aliquot receptacula quasi conclauia faciunt, qua-

drangulari forma, in quorum medio focus constituitur pro coquendo cibo, atque hisce receptaculis seorsim, vno tamen quasi septo siue pariete communi circumdati omnes quotquot ad vnam pertinent familiam habitant, vxorum enim quælibet receptaculum peculiare, & vir similiter peculiarem suam mansionem habent, ita vt ab invicem discernantur, quamvis coniunctim in vno habitent domicilio.

Conclavia.

Altitudo ædificiorum.

Tandem perfecto ita & absoluto ædificio, multum straminis parietibus extrinsecus affundunt, ea altitudine qua parietes constant, qui plerunque viri alicuius altitudinem non excedunt, tam enim depressa & humilia ædificia illa sunt, vt sine tecto si esset, quod plerunque ad fenestræ modum elevatum patet erectus incedere in eis non posses.

Platea.

Cæterum continua serie ædificia sese omnia consequuntur, & vnum quasi alteri adhæret nisi quod affuso isto stramine ab invicem separentur, quæ quidem interstitia straminea, plateas etiam ciuitatis & oppidi constituunt, quibus series vna ædificiorum ab altera separatur & discernitur, quæ quidem adeo sunt angustæ, vt transitus non nisi vni personæ pateat. Quod si igitur pluviæ existant, transire alicui, & ex viscosa sese expedire humo vix concessum, at splendente sole lutum istud ita induratur, vt lapidibus quasi stratas plateas diceres.

Transitus per ædificia.

Quod si aliquem convenire in ædibus suis, quis velit, in platea eousq; progrediendum est, donec ianuam aliquam apertam videat, hanc ingressus, transitum ex ædificio altero in alterum invenit, donec tandem quo velit perveniat.

Supellex domestica.

Supellectilis in ædibus parum vel nihil videas, vasa enim & res alias cistis plerunque quas à Batauis redimunt, impositas habent, ita vt nihil fere ad ornatum in ædibus prostet.

Ædificia Regum.

Ædificia Regum & præfectorum ciuitatis, plerunque in loco foro vicino extruuntur, & ab aliis ædificiis separata sunt, soli enim Reges habitant, & vicinos nullos habent exceptis vxoribus & liberis suis, quorum plerunque apud eos maior, quam apud alios reperitur numerus. Cæterum ædificia isthæc regia, altiora sunt paulo & in sublime magis ascendunt quam vulgaria, multis ianuis intrinsecus exornata, vt quasi in labyrintho constitutus, ex hac in aliam incidas, finem & exitum non cernens. Tectum habent stramineum, culmis & arundinibus constratum. Satellites & excubitores regii mansiones singuli singulas habent ab invicem discretas. In medio huius aulæ, porticus est, vndique patens, & solo tecto, ardores solis imbresque declinante constans, vbi inambulare & residere cum aulicis suis Reges per diem, fallendi temporis gratia cernuntur. Ad ianuam autem, in ipso regiæ domus ingressu, vasa duo in terram nonnihil defossa cernuntur, quæ recenti aqua singulis diebus complentur, idque fortasse in gratiam Numinis regii, vt scilicet *Fetisso* Regis nunquam potus desit.

Porticus Regum.

Vrbes sordidæ, & male olentes.

Iam quod ad vrbes maritimas attinet, ornatus quidem & elegantiæ in ipsis parum est, sordidæ enim sunt & tam fœde olentes, vt vento ex terra progrediente, fœtorem ad integrum miliare & amplius in mari nocentissimum percipere possis. Fœtor vero iste, à quisquiliis & sordibus existit, quas ad vias & sepes, ante portas scilicet ciuitatum ingenti cumulo deponunt. Vrbes vero à mari remotiores aliæ, & auro magis abundant, & ædificiis splendidioribus conspicuæ sunt, Nam & populosiores sunt & mercatores habent longe maiora exercentes commercia,

quam

quam ab illis fieri solet, qui loca maritima incolunt, illi enim plerunque tenuioris fortunæ sunt, vtpote interpretes, proxenetæ, portitores, nautæ, piscatores, serui & mancipia eorum qui vrbes remotiores inhabitant. *Ciuitates maritimæ qualibus inhabitentur hominibus.*

Reges propter fœtorem istum in maritimis locis non habitant, sed in ciuitatibus aliis non longe tamen ab illis remotis; Atqui in maritimis præfectos suos habent qui suo loco eis præsint. Verum quidem est vrbes à mari aliquantulum remotas, longe maritimis esse maiores, & nullo modo neque quo ad ædium præstantiam, neque quoad populi abundantiam, cum his conferendas, sed nec portas habent nec mœnia, nec vlla quibus adversus hostem sese tueantur & defendant propugnacula, ita vt incursionibus quibuscunque pateant, & expugnatu perquam faciles appareant. *Aula Regis vbi.* *Collatio vrbium maritimarum cum aliis.*

CAP. XXIII.

DE CIVITATIBVS ET OPPIDIS VBI BATAVI NEGOTIAtiones suas exercent, in specie, quomodo nimirum vocentur, & quo intervallo ab invicem separatæ distent.

CVm primum, Batavi, commercia sua in *Guineæ* littore iam exercentes, ad littus quod de Granis *Manigette* nomen habet venissent, etsi aurum alicubi inuenirent, non tamen propterea ab auro isti regioni nomen imponere voluerũt, quod non modo eo non abundare, sed vel in maiori id precio habere incolas viderent, quam à nostris æstimatur, Vlterius igitur progressi, cum aurum maiori sese subinde aperiret copia, & quo longius pergerent, eo copiosiori abundare populos animaduerterent, initium littoris auriferi, promontorium quod *Cabo de Trespunctas* vulgo vocant, fecerunt, ad *Rio de Volta* vsque illud extendentes. *Littus auriferum vbi incipiat.*

Promontorium igitur seu *Cabo de Trespunctas* sub eleuatione 4. gradu-um situm, id nominis inde accepit, quod triplici sese aperiens cacumine, procul in mare excurrat. Et quidem in hoc promontorio Lusitani Castellum quoddam habent, nomine *Aziem*, quod impedimento est, quo minus Batavi commercia sua ibi exercere possint, quamuis nemo etiam sit, qui contrahere cum Nigritis huius loci admodum cupiat, & plerunq; ideo ibi appellant, quod locus sit qui facile cognoscatur, vt ita postmodũ absq; hæsitatione progredi, & cœpto itineri insistere possint. *Cabo de Trespunctas.* *Aziem.*

Quinque ab hoc promontorio versus ortum miliaribus gallicis abest emporium primum, *Anta* Nigritis dictum, Hic primò anchoram emittere solent Batavi, quod incolas norunt ferrum admodũ expetere, ex quo arma omnis generis præparent. Populus huius loci vendẽdo vino est occupatissimus, quo maxime abundant, quemadmodum & aliis fructibus, gallinis item & capris ouibusq;. Tempore igitur illo, quo vinum ex arboribus colligitur, Oenopolæ Æthiopes, vltra & 20. miliaria habitantes, multis nauiculis seu scaphis ibi applicãt emptumq; ab incolis vinum, per vniuersum postea littus distrahunt, quod quidem viris melius conuenire quam mulieribus existimant, propterea quod non tantæ est dulcedinis, quantæ alterum illud quod in locis à mari prouenit remotioribus, sed aqua est magis dilutum & grata asperitate iucundum, contra vero alterum illud à mulieribus propter dulcedinem suam, magis expetitur. *Anta vrbs & vinum quod ibi colligitur.*

Ab hoc autem oppido miliari vnico distant, *Rio de S. Georgio*, *Iabbe* item & *Cama*, vbi Lusitani non castellum solum habere, sed cum locus admo- *Cama. Castellum.*

admodum sit fertilis, habitare etiam visuntur, & vectigal siue tributum à Nigritis piscatoribus colligere, Quin etiam alimenta hic coëmere varia dicuntur, & quotidie mancipiorum auxilio ad castella alia, *Aziem* nimirum & *Mina* transferre, ne defectum rerum necessariarum forte in illis castellis sentiant. Circa hunc autem locum ingens in mare scopulus excurrit, qui naues Batauorum nullas admittit & non nisi scaphis minoribus superari potest.

Agitaki seu Comando.

Porro ad miliare vnicum progressis, ingens sese pagus offert, Nigritis, *Agitaki*, Lusitanis vero *Aldea de Torto* dictus, Batani hunc pagum *Comando* vocant, quamuis verum *Comando* non sit, quod in montibus situm, aula regia celebre est. Ipsi autem propter pronunciationem commodiorem hoc nominis ei dederunt.

Hic pagus aquilonem versus, eleganti virgulto, & flumine limpidissimo, ad continentem tendente celebris, negotiationibus vero aptissimus est, vnde etiam ab Hollandis nunquam præternauigatur, qui multa ibi exercere commercia solent, cum frequenti habitetur populo, licet non vsque adeo locuplete & diuite, Nam & ab *Anta* mercatores, si naues in portu suo nullas habeant, & ab *Edom*, *Wassa*, *Comando* aliisque locis, quam plurimi eo merces necessarias emptum proficiscuntur.

Merces quæ in Comando venduntur.

Merces vero quæ ab incolis eius loci potissimum expetuntur, sunt orbiculi vitrei varii coloris, Tenuioris enim fortunæ homines illis perpoliendis & diuendendis victum quærunt, præterea vasa cuprea minora, pannus laneus cærulei coloris, & iustæ latitudinis lineus, cum multi ibi agricolæ habitent, qui eo carere non possunt.

Non possunt tamen hæ merces ingenti copia ibi diuendi, sed singilatim tantum & minori numero distrahuntur, quæ causa est, quod locus iste, ad *Dache* seu donaria proxenetis & nautis expedienda, pessimus omnium sit, quotquot in *Guinea* littore reperiuntur. Ingenti enim sæpe multitudine Batauorum naues simul ascendente, quilibet parum tantum emere expetit, præterea aurum quod afferunt raro purum sed liquefactum & in minores particulas fusum est, quod fraude sua non caret, cum orichalcum ei affundere plerunque soleant, & quidam reperiantur, qui purum orichalcum pro auro obtrudere Batauis conentur, vt ita diligenti attentione maxime in hoc loco opus sit.

Piscatura frequens.

Canoas seu scaphas præ cæteris qui in hoc littore habitant, plurimas habent, & piscatum frequentissimi omnium in mare egrediuntur, Nam & 70. vel 80. sæpe *Canoas* secum ducunt, & tam longe in mare progrediuntur, vt oculorum aciem fere effugiant, circa meridiem autem simul omnes cum ingenti piscium multitudine reuertuntur, atque ita in labore hoc admodum strenui & diligentes existunt. Fructibus & rebus aliis ad vitæ sustentationem pertinentibus satis abundant, ita vt vix alius, in toto littore locus reperiatur, vbi plus fructuum exiguo precio emere possis, Maximam autem fructus alicuius, quem *Bannana* vocant, habent abundantiam, vt ita non immerito locus hic Batauis forum fructuum dicatur.

Terra Pekina.

Vlterius paulo progressi, ad locum qui *Terra Pekina* vocatur, peruenitunt, sed ibi commercia non exercentur, propterea quod Lusitani ex castello *La Mina*, ibi quotidie obuersantes reperiãtur, qui si aliquid mercium expetant, aliquos ex hoc pago, auro instructos, ad pagum *Agitaki*

seu

ſeu *Comando*, vnico ſaltem miliari aduerſo flumine hinc diſtantem, mittunt, qui quod velint ab Hollandis redimant.

Ipſum autem Caſtellum *La Mina*, dimidio ſaltem miliari à modo dicto pago abeſt, Eſtque propugnaculum fortiſſimum, Regem Hiſpaniæ Dominum agnoſcens, ſed ſub iuriſdictione tamen Luſitanica, militibus etiam Luſitanis firmatum. De quo quidem peculiari nobis capite agendum erit. *La Mina.*

Cæterum confecto adhuc vno miliari, locus ſeſe alius offert, *Cabo Corſo* vulgo dictus. Hoc promontorium ſiue *Cabo*, emporium eſt celeberrimum, vbi Galli ante hæc tempora commercia exercuerunt non vulgaria. Verum propter pericula quæ ex vicino caſtello *La Mina*, negotiatoribus ibi imminere ſolent, locus iſte vitari cœpit, mercatoribus iam fere deſtitutus, Nam oppreſſam ibi circa annum 1590. vel 91. Gallorum nauem, Luſitani plane euerterunt, pleriſque interfectis, reſiduo vero capto & in ſeruitutem redacto, præterea etiam Batauorum aliqui: Anno 1592. ſub Nauclero *Simone Taey* Amſtelrodamo, in cymba littus legentes, miſere per Luſitanorum inſidias oppreſſi & trucidati ſunt. *Cabo Corſo.* *Cabo Corſo cur à mercatoribus aliquandiu deſertum ſit.*

At vere nuper, cum 1600. qui pagum *Boure*, alias *Moure* dictum inhabitant, bellum Luſitanis inferrent, naues ad dictum promontorium appellere rurſus & commercia ibi exercere cæperunt, auri etiam aliquo modo præſtantia inuitatæ, quod magna copia ex *Foetu Abrenbou*, & *Mandinga*, nec non ex aliis ciuitatibus, ad 200. miliaria à mari remotis, eo tranſportatur.

Mercatores quidem pagani magno numero ibi non confluunt, ſed multum auri afferentes, Copioſas merces coëmunt, præſertim autem linteum & vaſa ænea mediocris capacitatis. Locus alioqui ſub imperio Regis de *Foetu* eſt qui ibi telonium etiam ſuum habet, pagus vero egregie eleuatus eſt & ingenti ſcopulo præmunitus, cui fluctus maris tanto alliduntur impetu, vt ſonum eorum procul audire poſſis.

Populus malus eſt, idque propter aſſiduam cum Luſitanis familiaritatem & conuerſationem, quæ inde extitit, quod ante hæc tempora omnes fere, circa caſtellum de *Mina* habitarunt. Forum eximium habent & ſpacioſum, ita vt omnes maritimas ciuitates alias, amplitudine ſua facile ſuperet.

Porro ad miliare vnicum ſi progreſſus adhuc fiat, ad præcipuum totius littoris Emporium, *Mourre* peruenitur. Hic locus primus fuit, qui à Luſitanis ſecedens, aduerſus eos qui in caſtello *La Mina* ſunt, arma cepit. Incolæ vero etiam eius, primi fuerunt, qui fauore & beneuolentia Batauos complexi, familiaritatem cum eis ex nauibus nimirum ſuis, in terram inuitatis, contraxerunt. Quamobrem etiam Luſitani, cum hoc animaduertiſſent, noctu aliquando ex caſtello *La Mina* prorùentes, omnes eorum *Canoas* & ſcaphas diſſectas vaſtarunt. *Mourre emporium præcipuum.*

Verum quidem eſt Batauum eos aliquando aliquem interfeciſſe, ſed id propria ipſius culpa factum eſt, qui petulantia ſua ad iracundiam eos commouerat. Accidit enim Anno 1598. pridie calendarum Maii, vt Batauorum aliqui in terram deſcenderint ramos aliquot virides allatum, quibus pro more nauem ſuam exornarent, cum autem arbores cædere cæpiſſent, aderant ſtatim incolarum aliqui hoc ipſum prohibentes, quod eiuſmodi eſſent arbores, quas ipſi inter *Fetiſſos* ſeu numina ſua habent & colunt, ſed Hollandi ſtrenue in cædendo pergentes, ludibrio eos

habere cæperunt, cum igitur ab instituto suo desistere nollent, à verbis tandem ad verbera ventum est, & Nigritæ quidem magno impetu in Batauos proruentes, spiculis & lapidibus, pago eiectos ad naues confugere coëgerunt, vno inter fugiendum trucidato, quem postea capite truncatum terræ mandarunt.

Iustitia ab Æthiopibus administrata.

At sequenti statim die, incolæ ad nauem venientes, Æthiopem istum homicidam secum adduxerunt, petentes, vt simili pœna ab Hollandis afficeretur, qui cum ipsum comprehendere & trucidare recusarent, assumptum secum & in terram iterum abductum capite truncarunt, corpore in quatuor partes dissecto & in cibum volucribus proiecto.

Postea cum Bataui rursus in terram descendissent, viderunt eum qui in fuga interfectus fuerat, ab incolis sepultum, caput vero homicidæ culeo insertum, supra sepulchrum suspensum esse; Quod quidem non leue erat beneuolæ eorum erga Batauos voluntatis argumentum, vt quod cæptam amicitiam omnibus modis sartam & tectam esse cuperent.

Emporium celebre.

Locus hic cœmiterium Batauorum vulgo appellatur, quod multi eorum vita in itinere defuncti, ibi terræ mandentur, præcipuum autem est totius littoris emporium, vbi plurimæ naues appellunt, & plurima commercia fiunt, Quin imo si quæ alibi negotiationes suas exercuerunt, ibi semper prius quam domum reuertantur appellunt, vt aqua lignisque & rebus aliis, quibus adhuc indigent sibi prospiciant, cursu postmodum suo versus promontorium quod *Cabo Lopo Gonsalves* vocant directo.

Pagus ipse eleuatus nonnihil est, sed informis tamen & sordidus, nec forum habet negotiationibus satis aptum, quamuis & copiosum de palma vinum & fructus alii ad sustentationem vitæ pertinentes, satis multi ibi vendantur. Dominum agnoscit Regem de *Sabou*, qui telonium ibi suum habet.

Mercatores pagani ex *Cano*, & aliis à mari remotioribus locis, magna frequentia ibi congregantur, magnam vim auri rudis, quemadmodum illud ex terra eruunt, secum afferentes, & multas merces subinde ementes. Ante hæc tempora, locus quidem celebris non fuit, cum rari eum frequentarent mercatores pagani, Verũ nauibus Batauorum subinde ibi applicantibus inuitati sunt paulatim ex pagis, vt frequentiores indies advenerint, & locum iam negotiationibus suis celeberrimum reddiderint.

Infantin. Kormentin.

Cæterum miliari vno adhuc confecto, locus quidam occurrit, quem *Infantin* vocant, Ciuitas vero *Kormentin* duobus inde miliaribus abest, quæ ante hæc tempora à negotiationibus celeberrima, imo præcipuum totius littoris emporium fuit, iam vero non magni æstimatur, Pagus ipse satis eleuatus est & in excelso positus procera in fori medio arbore insignis, occasum versus, monticulos quinque, ortum vero versus, montem *Mango* habet. Lusitani & Galli olim magna ex parte portum suum hic habuerunt, quemadmodum etiam à Batauis frequenter requisitus est, sed cum aurum adulterantes incolæ sæpenumero deprehenderentur, naues postmodum alibi appulerunt, hoc loco prorsus relicto, ita vt incolæ ipsi iam cogantur ad *Mourre* ciuitatem Batauorum naues cõuenire, si merces aliquas, inprimis vero orbiculos vitreos emere desiderent, Regem autem de *Foetin* Dominum agnoscunt.

Mango.

Quatuor ab hoc loco miliaribus, *Mango*, mons admodũ excelsus abest, vbi

vbi Æthiopes Diabolo ipsi sacrificia offerunt, sed ibi negotiationes nullæ exercentur, quæ ad locum alium vno adhuc miliari ab hoc monte distantem reiectæ sunt, qui *Biamba* ipsis vocatur. Pascua enim ibi habentur optima, & propterea multis incolæ pecoribus abundant, quæ etiam magno numero vendere solent, negotiationes per vniuersum littus pecoribus suis exercentes ditissimas. Sed & multi paganorum mulieres & puellas emptum huc proficiscuntur, quibus pro mancipiis & famulis vtantur. Cum mulieres ibi reperiantur reliquas fere omnes prudentia & ingenio superantes. Viri huius loci, agriculturæ sunt studiosissimi, victum sibi ex frumentis, oleo palmarum, & pecorum cura diligentiori, comparantes. *Biamba.*

Confectis adhuc tribus miliaribus ad locum alium quem *Berqu* vocant, peruenitur, pagus est in montis vertice situs, vbi Galli plerunque commercia sua exercere consueuerant. Atqui in commemoratis hactenus ciuitatibus communi & eadem lingua omnes vtuntur, hic autem lingua mutari aliquo modo incipit, incolis aliter quam hactenus visitatum fuit loquentibus. Prudens autem hic & ingeniosus admodum reperitur populus, qui non aurum solum fundere, sed & torques & monilia, annulosque & alia id genus affabre facere norunt. *Berqu.* *Lingua mutatio.*

Sed & potum sibi parare possunt, cereuisiæ nostræ tenuiori non absimilem, quem *Pitouw* vocant, Gallinę ibi maiori reperiuntur copia, quam alibi, & longe etiam minoris veneunt, Auibus etiam abundant, quas *Paroquitas* vocant. Incolæ à Batauis ferrum emunt magna copia, Eius enim tractandi peritissimi sunt, & arma omnis generis parare eleganter norunt. Cum autem naues vel raro vel nunquam hodie ibi appellant, secundo flumine *Ackram*, quatuor miliaribus ab hoc loco distantem, retunr, vt quibus opus habent, ibi coëmant. Terra est humilis & depressa, fracta arbore insignis, quæ dissecti patibuli speciem in littore repræsentans, pro *Fetisso*, seu numine ab ipsis habetur. *Ackra.*

Lusitani castellum olim in *Ackra* habuerunt, sed cum Nigritis admodum molesti, ingentem tyrannidem & crudelitatem exercerent conspirantes adversus eos incolæ, Castellum expugnarunt, dirutúq; subuerterunt, Lusitanis partim trucidatis, partim in fugam versis, & territorio suo eiectis.

Populus est ingeniosus & callidus, reique familiaris suo modo administrandæ peritissimus, *Canoas* siue scaphas quibus in mari vtantur non multas quidem sed magnas tamen & amplas habent, Reperias enim quasdam pedum 35. longas, latas vero pedum 5. & trium altas, ita vt vel 30. personarum capaces sint. Raro cum Batauis contrahunt, certos enim in septimana dies habent, quibus ad naues Batauorum proficiscantur, veniunt autem multo instructi auro, afferentes illud, prout ex terra erutum est, Merces quibus delectantur sunt pannus laneus rubri inprimis coloris, vasa item ænea omnis generis, & gausapa hispanica albi coloris villosa pondera habent illorum qui in *Mourre* habitant ponderibus paulo minora, estque discrepantia, dimidii fere *Pesò* in *Benda*.

Feris admodum abundant, sic enim & ceruos, & lepores, aprosque & feras alias ibi invenias, fructuum vero præter *Ingnamos* & genus aliquod pisorum, fere nihil. Raro autem Hollandi nauibus primariis ibi appellunt, propter fluctuum vehementiam, itaque scaphas suas eo ex *Mourre* & *Cabo Corso* ad miliaria 18. fere mercibus onustas ablegant, quod illis flu-

ctus superentur facilius, & commeatu etiam instruantur commodius, cum in ascendendo, quod contra fluminis decursum fieri necesse est, tres sæpe & quatuor septimanas conficiant.

Labedde. Vnico infra *Ackram* miliari, locus est *Labedde* ipsis dictus, ciuitas nempe egregia, muro & vallo cincta, cuius incolæ sues alunt magna copia, commercia autem exercere volentes *Ackram* ascendunt.

Chinka. Itinere porro duorum miliarium peruenitur ad locum quem *Nengo* vocant, Ab hoc *Temina* miliari vno, & inde *Chinka* similiter vno distant, quorum locus posterior nuper anno 1600. Hollandis primum innotuit, & iam æque vt præcedētia omnia ipsorum negotiationibus & commerciis inseruit. Delectantur autē huius loci incolæ Linteo potissimum, mensurisque & ponderibus iisdem cum illis qui in *Ackra* habitant, quo & ipsi antea aliquid emere volentes proficiscebantur, vtuntur.

Linguam habent ab illis qui in *Ackra* habitant diuersam, ita, vt quamuis non longo ab inuicem interuallo distent, vnus tamen alterum intelligere non possit.

Raia ingentes. Abundant admodum malis aureis pulcherrimis, & pisces interdum satis copiosos, variis hamis & instrumentis capiunt. Raias non raro inuenerunt 15. pedes longas, latas vero pedes 20. Ciuitatem habent non deformem longius aliquanto à mari remotam, ex qua mercatores pagani magna copia emptum merces varias subinde prodeunt. Nomen autem ciuitati est *Spice*. Cæterum pagani in *Chincka* ab omni vectigali immunes sunt & liberi, Rex enim nihil ab eis tributi nomine exigi voluit, eo forsitan fine, vt cōmercia & negotiationes ab aliis eo facilius ad hunc locum transferrentur.

Cæterum ab hoc loco vsque ad *Rio de Volta* varia adhuc oppidula & pagos cernere est, de quibus cum nullius sint præstantiæ & momenti, nihil attinet multa dicere. Atq; ita quæ recensuimus præcipua loca sunt & oppida toti⁹ auriferi littoris, vbi negotiationes à Batauis subinde exercētur.

CAP. XXIIII.

DE BELLIS ET CERTAMINIBVS EORVM, QVAE nimirum sit bellorum ratio, & qualibus in bello armis vtantur.



Bellorum initia leuia. CVM regionis huius populus superbus admodum sit & fastuosus, odioque & inuidia inuicem laboret maxima, facile ipsis est causam aliquam belli inuenire. Atqui bella ipsorum non sunt diuturna, sed quemadmodum cito fiunt, ita cito etiam dispereunt rursus & finiuntur. Regibus inuicem nulla familiaritas est & nulla coniunctio, quin imo perpetuo sese inuicem odio prosequuntur, vnde facile aliquid accidere & euenire potest, quo offensi, alter alterum *Belli denunciatio.* ad pugnam prouocet, & bellum sibi inuicem indicant. Denunciato autem bello, Rex statim ciuitatibus suis vniuersis, id significat, iubetq; præfectum cuiuscunque ciuitatis cum subditis suis vniuersis & singulis dicta belli die sibi adesse, & ad pugnam sese parare, Idem ab alterius etiam partis Rege fit, ne ad bellum imparatus vllus accedat.

Satellites Regij. Habent autem Reges certos suos satellites, qui in aula regia excubias agant, & Regi semper sint à latere. Hi propter officium suum sibi admodum placent, per plateas enim incedentes insolenter sese subinde intuentur

tuentur & respiciunt, variis gesticulationibus gladium modo trans caput athletarum instar vibrantes, modo ab hoc ad alterum latus saltantes inepti sunt, toruum tuentur, & vultum fingunt tam crudelem, ac si vel omnes pessundare, vel vniuersum subuertere mūdum vellent. Hi Regem suum semper comitantur, ita vt si Rex ipsemet in bellum procedat, eum sequantur, sin minus, domi etiam cum eo permaneant.

Die igitur bello dicta, iam appropinquante, aciei sese quilibet accingit, armis se instruens, & adversus hostem, quocunque modo communiens. Ac primo quidem faciem terra rubri, albi, vel fului & flaui coloris pingunt, pectus vero & corpus reliquum variis lineamentis, circulos, cruces, serpentes & id genus res alias referentibus inficiunt, vt formidabiles appareant; Postea orbiculos suos varios sphærularum precatoriarum instar funiculo traiectos, quorum vsus est in faciendo *Fetisso*, corpori inuoluunt, existimantes se hisce orbiculis quasi munitos, à *Fetisso* suo, in pugna conseruatum iri, ne vel vulnerentur vel plane præliantes occūbant; porro contextam ex arborum ramis brachii crassitie coronam, à collo suspendunt, qua ictus & verbera excipiant, ne facile iis vulnerentur, Capiti Galeam ex Pantherarum pellibus aut serpentū Crocodilorumq; exuviis factam imponunt, quin & Cingulum ex pellibus ferarum factum, corpori circūdatum per pedes traducunt, Pudenda sua exiguo lintei segmento tegentes; vestimenta enim in bellū profecturi, ne inter pugnandum ipsis sint impedimento, prorsus respuunt; post cingulū, pugionem obdunt, sinistra manu Clypeum oblongum & latum, totumque fere corpus suum obtegentem, dextra vero, spicula tria vel quatuor quæ inter pugnandum in hostem emittant & eiaculentur pro ratione conditionis & fortunarum suarum capiunt. Qui vero eius fortunæ non sunt vt iaculis huiusmodi & Clypeis vtantur, arcubus armantur & sagittis, pharetras enim habent ex ferarum pellibus factas, quæ multis acutissimis sagittis refertæ sunt, quæ in hostem torquere quam celerrime possunt. Serui & famuli tympana pulsant, alii vero cornua habēt & tibias ex ebore factas, quibus classicum canant.

Quomodo ad pugnam accingantur.

Arma.

Hac sic facta præparatione, *Morinni* seu nobiles omnes, ad aulam Regis sui congregantur, & postea cum vniuersa sua familia ad locum pugnæ destinatum, militatum abeunt, sumptis secum vxoribus liberisque & rebus quibuscunq; preciosioribus omnibus. Quin imo si bellum ipsis cordi sit, Causa nimirum existente ardua & seria, qua commoti ardeant cupiditate hostes exterminandi & finibus suis prorsus eiiciendi, tunc ciuitatē & ædificia sua omnia antequā abeant igne subuertunt ne vel hostes forte superiores facti, iis potiantur, vel ipsi desiderio aliquo reuertendi domum teneantur, sed eo maiori conatu in hostem ferantur, & pugnam maiori alacritate sustineant. Sin vero causa leuis sit, quæ facile rursus componi possit, ædificia sua non quidem exurunt, nec etiam vxores & liberos secum in pugnam abducunt, sed antequā tamen ad præliandum ciuitate egrediatur, vxores & liberos cum supellectile & rebus omnibus ad locum proximum, vbi nulla inimicitiarum & simultatum est suspicio, deportant, vt ita ædificia prorsus euacuentur, & nihil quicquam in ciuitate reliquum maneat, quasi eam prorsus deserere & nunquā redire statuissent. Neque vero quisquam etiam ante belli exitum ad eam reuertitur, sed finito & composito certamine, mulieres istę deportatę cum liberis & rebus suis omnibus ciuitatem & ædificia sua tandem repetunt.

Quis status sit mulierum, viris in militiam abeuntibus.

Profecti igitur in militiam, cum ad pugnam & certamen ventum est, quilibet pro se & Rege suo strenue pugnant, atque vt victoriam obtineant, laborant gnauiter nullis neque iaculis nec sagittis parcentes, cædendoque rem vrgentes acriter spicula mittentes raro aberrant, tam enim in proiiciendo & iaculando certi & exercitati sunt, vt vel obolum ferire possint, Durante conflictu tympana pulsantur, & classicum eburneo cornu canitur, more in bellis vsitato. Si quos in hostium manus viuos peruenire contingat, illi perpetuæ seruituti mancipantur, ita vt libertatem sperare nunquam possint, qui vero trucidati in bello occumbunt, à parte victrice postmodum cocti in cibum assumuntur.

Ardor belli.

Victoria crudelis.

Non semper autem aperto Marte decernunt, sed per insidias etiam interdum domicilia hostium exurunt, & ciuitates eorum subuertunt, illis in exilium fugatis & eiectis. Sic enim cum aliquando bellum esset inter illos qui in *Agitaki* vel *Aldea de Torto*, & alios qui in *Iabbe* & *Cama*, habitant, quæ oppida in parte orientali fluminis *S. Georgij* sita erant, accidit, vt qui in *Agitaki* habitant, noctu venirent, & accensis hostium suorum ciuitatibus, *Iabbe* nempe & *Cama*, incolas cogerent, relictis omnibus suis facultatibus, fuga sibi prospicere, qui nauiculas suas ingressi traiecto statim flumine in territorium ciuitatis *Antæ* venerunt, vbi à persecutionibus hostium suorum tuti, tuguriola postmodum in parte fluminis *S. Georgij*, occidentali extruere cæperunt, imperio Regis ab *Anta* sese submittentes, cuius patrocinio etiamnum hodie fruuntur, in parte nempe nominati fluminis occidentali habitantes, & iam ab incursionibus hostium in *Agitaki* liberi.

Insidiæ.

Finito bello & lite composita, fit interdum vt pacem Reges constituant, & mediante iuramento alter alteri promittat, quod ab armis abstinere, & nihil imposterum noui moliri inuicem velint, pro confirmatione autem huius pacti, cum nullis verbis fidem habeant, alter alteri virum aliquem tanquam obsidem pacis tradit, quem ex præcipuis nobilibus Regis esse necesse est, offerendus autem Regi pingitur primum vario colore, & mirum in modum exornatur, deinde humeris satellitis cuiusdam regii insidens, ad Regem transmittitur, à quo honorifice non solum excipitur, sed & honeste habetur, quamuis ei non per omnia fidem habeant, sed attente gressus & facta eius omnia obseruent.

Pacis tractatio & confirmatio.

Obsides.

Anno 1570. temporibus nimirum Sebastiani Regis Lusitaniæ, bellum fuit Lusitanis in Castello *La Mina* habitantibus, cum incolis ciuitatum *Comando* & *Foetu*, vbi Lusitanorum quidem ingens multitudo conueniens, non incolas solum ciuitatibus suis eiecerunt, sed & oppida ipsa igne deformata penitus vastarunt, At vero Æthiopes in sylua quadam congregati, reuertentes Lusitanos expectarunt, qui ad Castellum suum confecto bello redire volentes, insidiarum ignari, in manus Æthiopum inciderunt, à quibus tantã accepere cladem, vt vltra 300. trucidati perierint, de quibus 50. adhuc capita nuper cuidam Batauorum monstrata sunt, quibus sepulchrum Regis illius, qui in pugna occubuerat, vndique cinctum erat, singularis ornatus gratia, & in recordationem facti huius, silentio non prætereundi, Tantam enim tum Æthiopes aduersus Lusitanos de Castello *La Mina* obtinuerant victoriam, vt expugnato castello, residuum inde eiicere & exturbare facile potuissent, absque tormentis æneis si fuisset, quæ in castello disposita Æthiopes admodum metuunt &

Lusitani à Nigritis magna copia cæsi.

unt & abhorrent. Hanc vero historiam à præcipuo quodam viro, qui *Viador* & affinis Regis erat, Batauι acceperunt qui eam non solum confirmabat, sed ipsum se etiam bello tunc & pugnę interfuisse dicebat cum Lusitani nihil tale metuentes, tanta copia & multitudine oppressi occumberent.

Cæterum de amicitia & familiaritate Lusitanorum cum Æthiopibus quemadmodum etiam de commerciis, quas cum eis exercent, infra dicetur. Quamuis autem Nigritæ periculum tormentorum & sclopetorum valde metuant, & propterea diligenter sibi ab eis caueant, libenter tamen sonum eorum audiunt & explosionibus sclopororum admodum delectantur. Cum enim animaduertunt naues aliquas vel aduenire, vel discedere, magna statim copia ad littus conuolant, auditum quomodo se invicem salutare & excipere soleant, sed & pagani quidam ditiores si adveniant, qui multas merces emerunt, & multum auri expenderunt, plerunque in discessu expetunt, in honorem sui explosionem alicuius tormenti fieri. Quin etiam multi hodie reperiuntur, qui bombardas & sclopos sibi comparant, illorum vsum egregie addiscentes, neque etiam ignorantes magno enim suo malo apud Lusitanos id animaduerterunt, glandem ex bombarda aliqua oblonga proiici longius, quam ex minore aliquo sclopeto. *Quomodo bombardis delectantur.*

Sed & periti admodum sunt omnis generis arma parandi, pugiones enim siue gladiolos faciunt ancipites longitudinem vlnæ, latitudinem vero palmi seu 4. digitorum habentes, Capulo constantes ligneo laminis aureis, vel cute cuiusdam piscis obducto, quem tanti, quanti apud nos aurum, fieri solet, æstimant, vaginas ex pellibus caninis vel caprinis præparant, & in superiori parte, qua gladius intromittitur, testa rubicunda pugnum referente, exornant, cum autem eiusmodi pugiones propter testam maxime preciosiorem, pluris veneant, quam vt omnibus promiscue conueniant, ideo qui tenuioris sunt fortunæ, sicam emunt siue securim, ex altera tantum parte acutam, cuius latitudo superioris partis in mucronem desinit, Huius autem manubrio exornando, caput tigridis vel simiarum inseruit. *Pugiones siue gladij.* *Sica vel securis.*

Atque hoc quidem vulgare armorum genus est, quo præcincti quotidie per plateas assumptis præterea iaculis quibusdam siue hastis missilibus, incedunt, Cæterum qui eius sunt fortunæ vt mancipia habeant & seruos proprios, hi armis gestandis non defatigantur, sed famulo ea sibi præferenda committunt, ipsi vero baculo innixi pedetentim præeuntem famulum sequuntur.

Mercatores plerunque armati incedunt, siue peregrinentur, siue per plateas tantum eant, sed & mancipia siue famulos habent armis peculiariter instructos, gestantes nimirum plerunque arcum & pharetram iaculis refertam, idque propterea, quod hoc armorum genus ipsis inter eundum oneri & impedimento non sit, quippe quod à collo suspensum gestare possunt. *Arma seruorum.*

Hastas & missilia variis modis præparāt, pleraq; autem ex ferro solido, ita vt parum tantum ligni in medio interferatur, ferrum autem quod vtrinq; ligno affigitur, æqualis esse ponderis necesse est, ne vna parte præponderāte, in mittendo à scopo aberrent. Egregiam autē armorum suorum ratione habere cōsueuerunt, semper n. sex vel septē missilia eiusmodi in ædibus suis humi iuxta Clypeū à pariete suspensum, defixa habent. *Hasta & missilia.*

Clypeos

Clypeus. Clypeos enim ex corticibus arborum in tabulæ alicuius quadratæ formam, longitudine vt plurimum 6. pedum, latitudine vero quatuor, contexunt, & nonnihil excuruatos vel eleuatos in medio crucis formam referente, ligno vt eo fortius resistant adstringunt, ansa, qua teneantur ab interna parte ligno affixa.

Quidam potentiores Clypeis suis corium bouis insterni, & vmbonem seu eminentiorem eius partem, ferri lamina præmuniri curant, multum enim Clypeis confidunt, & sese illis ab omni impetu & externa iniuria bene tutos & tectos esse statuunt.


Arcus & sagitta. Arcus ex lento firmissimoque ligno faciunt, neruos eis prætendentes, ex corticibus arborum constructos, sagittas similiter ex ligno lento & tenui efficiunt, alas ex crinibus caninis mirabiliter contextas, ad mediam vsque partem eis aptantes, & mucrone ferreo nonnihil incuruato eas munientes. Cæterum licet in bellum profecturi sagittas hasce herbæ cuiusdam liquore admodum venenato inficiant, infectis tamen extra bellum vti ipsis non licet, nisi pœnam incurrere, & mulctam numerare grauissimam velint, pharetras autem pro conseruandis hisce sagittis ex pellibus caprinis factas, à collo suspendunt.

Tympanum maius. Tympana ex arbore quadam excauata faciunt, pellibus caprinis ei instratis, hæ enim si induratæ, baculo percutiantur, sonum tympanorum præbent, plerumque autem hæc tympana præ foribus aulæ regiæ, vel domus quam præfectus Regis inhabitat, iacere, & vel 20. pedum longitudinem habere cernuntur, raro autem & non nisi festum aliquod Rege celebrante, pulsantur. *Tympanum minus.* Sed & minora habent eodem modo quo maiora hæc parata, quæ à collo suspensa, per plateas incedentes pulsant, sed nemini tamen præterquam nobilibus vsus eorum concessus est.

Cornua & tibia. Sed & cornua habent siue tibias ex ebore factas, Has variis lineamentis & scissuris condecorant, foramine aliquo quadrangulari forma, in medio constituto, quod ori fistulantes admouent, Atque hisce quidem tibiis soli tantum Reges & ipsorum præfecti vtuntur.

CAP. XXV.

DE ELECTIONE ET AVLIS REGVM, ITEMQVE QVIS honor ipsis exhibeatur, & quid liberis ipsorum inde lucri accedat siue sperandum.



Regis electio. REGES ex communi populo, votis procerum eliguntur, Nulla enim ibi hæreditaria regna sunt, vt Regibus defunctis, ad proximos agnatos vel filios, ea deuoluerentur, sed vno defuncto alius statim ex populo eligitur, qui aulã regiam cum omni supellectile quasi hæreditario iure ad se deuolutam occupat.

Sed de reditibus suis annuis multos eum boues & vina redimere, & subditos suos liberaliter subinde habere oportet, dummodo fauorem populi retinere velit, *Liberalitas in Rege requiritur.* Liberalem enim ipsi Regem expetunt & fauore prosequuntur, contra vero tenacem & parcum siue auarum, qui rem facere & multum auri accumulare cogitat odio habent, & omnibus modis ei insidiantur, non quiescentes, donec causam aliquam arripiant, qua ipsum deponant & regno eiiciant, eligentes postmodo alium qui voto & cupiditatibus ipsorum satisfaciat.

Sic

Sic enim nuper Regi cuidam de *Sabou* accidit, Assumptus ille erat ex pago *Infantin*, quem patriam suam agnoscebat, parce autem & sordide viuebat, auaritiæ studens & thesaurum sibi colligere expetens, Quamuis enim tributi nomine non parum quotannis acquireret, conuiuiis tamen parum vel nihil impendens, raro subditorum aliquem inuitabat, comessationes vero & compotationes nullas fere aut satis ieiunas & frigidas instituebat, alienans ita à sese & auertens subditorum animos, qui cum omnes ipsi hoc nomine essent infensi; facto aliquando in aulam eius impetu, omnibus eum bonis exutum; exautoratumque & regia sede deturbatum, ad pagum suum *Infantin* cum ignominia remiserunt. *Rex aliquid propter auaritiam exautoratus.*

Quicunque igitur acceptum sese subditis reddere, & fauorem etiam populi sui conseruare expetit, is auaritiam vitare prorsus & sordes cogitur, quo enim sumptus maiores facit, quo sese magnificentius gerit, & plures ad cænam subinde inuitat; eo subditis suis Rex gratior & acceptior habetur. Communis igitur iam apud eos consuetudo inualuit, vt singulis anni quadrantibus, quando quæstores & publicani ad telonium sedētes, rationem de accepto tributo & mulctis variis collectis, pro more reddiderunt, Conuiuium aliquod apparent, impendentes ei vel parum vel multum, pro ratione nempe auri per quadrantem istum anni, collecti & ad hoc conuiuium *Moriani* siue nobiles aulici, cum consiliariis Regis omnibus inuitantur. Tunc autem multas pecudes, & vini quantum per vniuersum suum regnum acquirere potest, Rex coëmi, & inter populum distribui iubet, mirum eos in modum exhilarans, & gaudio tanto perfundens, vt psallere, exultare, & tantum non bacchari in voluptate videantur. *Conuiuia regia.*

Peracto hoc solenni conuiuio, capita boum mactatorum, colore vario illustrata, & multis *Fetissis* exornata, in habitationem Regis ordine collocantur, vt tabularum pictarum vicem expleant, existimantes ad commendationem Regis ea non parum facere, cum ex repositis illis capitibus colligere peregrini possint, Regem eum beneficum & liberalem esse, quod quidem non in minima laudis parte ponendum arbitrantur. *Capita boum reposita.*

Sed & aliud festum Reges admodum solenne habent, diem nempe anniuersarium coronationis suæ, quem ipsi diem *Fetissos* sui vocant. Et tunc quidem non præfectos tantum suos, sed & Reges vicinos, & nobiles aulicos cum vniuerso senatu, ad prandium inuitant, nullis omnino sumptibus parcentes, Quin etiam preces suas eo die Rex quilibet perficit, & sacrificia anniuersaria *Fetisso* suo, quem arborem habet in ciuitate sua altissimam, offert. Hunc autem diem summa cum lætitia transigunt, pulsantes tympana, ducentes Choreas & nihil quod ad hilaritatem pertinet, intermittentes, Inprimis vero mulieres lætitia tunc exultare, saltare & tripudiare videntur. Quilibet autem Rex festum eiusmodi solenne & anniuersarium celebrat, studens ne cum altero concurrat aut alteri cuidam Regi sit impedimento, idque propterea vt conuenire rectius & alter alterum inuisere commodius possint, circulum quasi tempore æstiuo absoluentes. *Festum Regis anniuersarium.* *Fetisso Regis.*

Diebus festis, quos singulis septimanis certos & constitutos instar Sabbathorum habent, Rex omne vinum quod eo die ex arboribus collectum ad aulam suam defertur, coëmit, cœnamque instruens & omnes *Sabbathum.*

H suas

ſuas vxores cum liberis & proximis nobilibus invitans, abſumit, lætitia non mediocri perfuſus, cum ſemel tantum in ſeptimana vxoribus & liberis ſuis coniunctus cibum capiat.

Vxores Regis vbi habitent.

Vxores Regis omnes fere cum eo in aula regia habitant, quamuis ſint etiam quæ extra aulam ſeſe contineant, vt pote prouectioris iam ætatis aliquæ, quæ oblectare Regem amplius non poſſunt, ſed iuuenculas & forma venuſtiores omnes in aula ſua ſecum habet, ſingulis domicilium peculiare diſtribuens, vt rectius ſibi inſeruire, & cupiditatibus ſuis ſatisfacere poſſint, omnem enim honorem & obedientiam Regi ſuo præſtant, & quælibet noctes diesque id vnum cogitat, quomodo ei placere, & præ aliis ſeſe inſinuare poſſit. Quælibet autem etiam proprium ſuum & ab aliis ſeparatum peculium ſiue theſaurum habet, & liberos ſuos ſecum retinere, deque victu & amictu eis proſpicere cogitur, ſed quæ præ cæteris in gratia apud Regem eſt, defectum omnino nullum ſentit.

Superbia vxorum Regis exeuntium in plateas.

Vxores iſtæ domo egreſſæ, humeris alicuius mulieris quam pro mancipio habent, innituntur, ſimiliter & Regum liberi per ſeruos in humeris geſtantur. Rex autem ipſemet raro ex aula ſua procedit, ſemper enim domi ſeſe continet, niſi quod interdum, ad portam vel ianuam aulæ ſuæ conſidet, quod tamen etiam perraro accidit. Satellites regii aulam iſtam die & nocte cuſtodiunt, ſemper armati incedentes, exire autem forte volentem Regem magna ſtipante caterua comitantur. Horis matutinis & veſpertinis, tibiis ſemper ex ebore factis in honorem Regis canitur, cantoribus vocem ſuam egregie moderari valentibus, vt ſonum non inconcinnum præbeant.

Lotiones Regum.

Egreſſum ex cubili Regem, vxores præſtolantur, vt aqua frigida ablutum probe corpus eius oleo inungant, vnde ſplendeſcat quaſi & totum nitidum reddatur. Hoc facto cibi paululum capit, poſtmodum in ſella quadam reſidens, muſcarium arripit, ex Equi vel Elephantis cauda factum, quo muſcas & culices abigat. More autem ibi vſitato, varie ornatus conſpicitur, Barba enim eius multis corallis bonis, & rebus aliis implicata eſt & intertexta, Armillas brachiis circumdatas habet ex puro auro, multis orbiculis vitreis varii coloris diſtinctas. Eiuſdem etiam generis torques & murenulas aureas à collo ſuſpenſas habens. Sic autem ornatus totum diem confabulando terit, deficientibus ei nunquam aulicis quibus cum tempus fallat.

Ornatus Regum.

Viador ſeu Atrij magiſter.

Inter aulicos autem Regis, præcipuum locum habet, qui *Viador* ipſis dicitur, quod nomen à Luſitanis mutuatum ipſis denotat ſecundum quaſi à Rege, qui Quæſtoris officio fungitur & theſauro regio præeſt, accipiens & expendens inde quantum opus eſt, omnia enim gubernat, & propterea etiam proximus quaſi à Rege velut atrii Magiſter armillas & torques aureas regio ornatu multo precioſiores geſtat.

Reges filijs ſuis nihil largiuntur.

Filii Regum ad laborem æque vt alii aſſueſiunt, labore enim ſuo ſibi aliquid acquirant & comparent neceſſe eſt ni velint in extrema paupertate & inopia vitam degere, Rex enim nihil quicquam ipſis largiri audet, metu nimirum populi, qui id nō permitteret multis de cauſis, imprimis vero, quod hoc modo nobiles ſpe ſucceſſionis fruſtrarentur, & de ſolennibus etiā conuiuiis multum decederet. Quæ etiam cauſa eſt, quod

Reges

Reges liberis suis ad matrimonium transeuntibus nihil amplius præterquam quod vsitatum est, & quod ab aliis etiam fieri solet, dotis nomine largiuntur, excepto mancipio seu seruo aliquo, cuius opera & ministerio vtantur. Commodum vero aliud à parentibus suis expectare non possunt, itaque etiam filii Regum si otio sese & ignauiæ dedant, & in iuuentute sua nihil operentur, vnde opes & diuitias acquirant, seniores facti, omnibus contemptui sunt, & in extrema paupertate vitam transigere coguntur.

Solent autem plerunque Reges filios suos secum retinere, & officiis aulicis destinare. Quod si igitur finito bello aliquo, pax inter Reges cōponatur, & obsides mittendi sint, Reges plerunque vnum ex filiis suis eligunt, quem obsidis loco ad Regem alium transmittant, vt ita ad dignitates promoueantur, & honoribus paulatim assuescant, si forsitan succedere aliquando in Regno possint. *Quomodo Reges filios promoveant.*

De reditibus annuis, vt sunt fructus varii, pisces, vinum, oleum de palma, & alia ad victum pertinentia, familiam & vxores cum liberis suis abunde sustentare possunt, frumentum ipsis per alios seritur, & postea collectum domum affertur, sine vllo suo labore, vt ita vitam otiosam & tranquillam agere possint, quæ tamen quantumuis bona videatur, misera est si cum nostrorum principum regumq; vitis conferatur. *Reditus Regum annui.*

Cæterum defuncto Rege aliquo, corpus eius more regionis vsitato, honorifice sepelitur, & in eius locum alius statim eligitur, qui tamen non est de familia prioris defuncti, ex communi enim populo aliquis adsciscitur qui idoneus huic maiestati censetur. Quemadmodum autem agnatos Regis omnes, qui sanguine ipsi coniuncti sunt, respuunt, sic neminem etiam hac maiestate dignum existimant, qui Regi sese aliquando opposuerit, aut contrarius vnquam fuerit, vel in minimo eum offenderit. Electum autem Regem ad pallatium deducunt, tradita ei aula regia cum bonis à Rege defuncto relictis omnibus, quæ nouus etiam Rex iste, quasi hæreditario iure ad se delata, statim occupat, liberis defuncti Regis exclusis omnibus, hi enim ex hæreditate parentis sui nihil quicquam accipiunt, exceptis tamen bonis, quæ antequam in Regem eligeretur possederat, ea enim ipsis restituuntur, diuidenda inuicem more istius regionis vsitato. *Rege defuncto, quis eligatur.* *Quid filij Regum ex hæreditate paterna consequantur.*

CAP. XXVI.

DE PROCESSV IN IVDICIIS VSITATO, QVOMODO NIMIRUM causas in foro agant, adversarios in ius vocent, & interdum seipsos etiam vleiscantur.

SI lites & contentiones inter eos, vel ob debitum aliquod vel ob violatam alicuius pudicitiam, furtum aut similem aliquam iniuriam, existant, quas ipsi cōponere amice & transigere non possunt, præfectum statim Regium, qui vicem Regis in hoc vel illo oppido sustinet, accedunt, exponentes ei rem omnem & iudicium seu sententiam eius expectantes. Principio autem Actor, actionem exorsus, eum à quo læsus est coram Iudice accusat, qui audita accusatione mancipium statim seu seruum suum, qui Reum ad iudicium vocet ablegat, Hic igitur adveniens, sese purgat & defendit ra- *Processus seu Ordo in iudicijs vsitatus.*

 tione

tione qua poteſt optima. Verba autem quilibet pro ſe facere ipſemet tenetur, neq; enim vel procuratorem conducere, vel per alium loqui, cuiquam conceditur. Proinde vbi Reus finem dicendi fecit, Actor ad orationem eius reſpondet, reſumens & refutans quæ pro ſui defenſione alter in medium protulerat, Atque ita diſceptatio hæc coram Iudice ſemel atque iterum repetitur, vt & Actor & Reus aliquoties audiantur, antequam ſententia pronuncietur. Loquente vero altero, alter tacere cogitur, & neque loquentem in ſermone confundere, neque reſponſione ſua, antequam ipſe ſe expediat, præuertere, pœna capitis ſecus facientibus propoſita. Quæ quidem conſuetudo eſt laude ſua digniſſima, prudentiamq; eorum qui iudicio præſunt eximiam arguit, licet alias feroces admodum ſint, & ſatis importuni.

Procuratores nō agnoſcunt.

Cognita igitur cauſa; & parte vtraque ſatis ſufficienterq; audita, tandem Vicarius iſte ſiue præfectus Regis, ſententiam dicit pro arbitrio ſuo, eoſque à ſe dimittit, in qua quidem etiam ſententia ipſis acquieſcendum eſt abſque vlteriori prouocatione ſeu appellatione. Nam ſi cauſa talis ſit, quæ Regem concernat, & pars altera condemnetur, mulctam ſtatim huic vicario regio numerare & perſoluere cogitur. Quod ſi vero cauſa tam difficilis ſit, vt componi ab hoc Iudice non poſſit, tanta cum animorum exacerbatione diſcedunt, vt iam non odiſſe ſeſe ſolum ſed & inſidiari ſibi inuicem videantur. Nam & alter alterum ad pugnam prouocant, vt armis litem dirimant cauſamque componant, Facta eiuſmodi prouocatione, pars vtraque, cauſam amicis ſuis exponit, & ſibi pugnæ ſocios exorat, ſtipati igitur amicis ſuis, in campum ad dictum diem procedunt, pugnæ ſocios tres vel quatuor ſecum adducentes, qui è regione conſiſtentes finem pugnæ expectant, Interim litigantes qui ſeſe inuicem ad pugnandum prouocarunt, Clypeis & miſſilibus haſtis armati, in arenam deſcendunt, petentes ſeſe inuicē ſagittis vel haſtis ſuis, donec alter percuſſus atq; vulneratus concidens, animam exhalet, tunc enim finem pugnandi faciunt, atque ita etiam contentio ipſa cum morte alterius terminatur.

Sententia definitiva.

Prouocationes.

Duellum pro dirimenda lite.

Finito autem certamine, conſanguinei eius qui interfectus periit, homicidam à parte altera requirunt, vt eum loco interfecti retineant & in ſeruitutem redigant, Qui ſi arrepta fuga, ſeſe ſubduxerit, inque aliam ciuitatem conceſſerit, omnibus eum modis perſequuntur, nihil nō tentantes, vt eum recuperent & in poteſtatē ſuam redigāt. Neq; vero etiam, niſi ab inſidiis ipſi remittant & inquirendi finem ſponte ſua faciant, ſeſe ab illorū manibus tueri, & vindictā euitare poteſt, præſertim cum neque Reges ei libertatem aliquam cōcedere, neq; ciuitas vlla eum tueri & cōſeruare poſſint Vbicūq; enim fuerit, ſi exploratus, repetatur, Reges eum reddere & à ſe dimittere coguntur, niſi perpetuum Regis, cuius poteſtati ſubiectus eſt, odium, & bellum experiri grauiſſimum velint.

Perſecutio eius qui in duello alterum occidit.

Cæterū recuperatus tandem homicida iſte vxori eius qui interfectus eſt offertur, quæ pro libitu ſuo vel retinere eum & in ſeruitutem redigere, vel pro certa pecunia vendere poteſt, vt ita perpetua ſeruitute puniatur. Quod ſi vero homicida iſte, eius ſit fortunæ, vt vxori vel amicis interfecti ſatisfacere, & pœnā ſeruitutis pecunia redimere poſſit, conceſſum id ei quidē eſt & permiſſum, ſoluto igitur precio tutus in ciuitate more conſueto verſari, & quæ muneris ſui ſunt peragere, abſque impedimento, quaſi neminem offendiſſet, poteſt. At vero ſi contentos eos reddere

Pœna eorum qui alterum in duello trucidarunt.

&

& placare non possit, medium nullum salutis aliud ipsi restat, quam vt sese aduersariis tradat, & seruitutẽ perpetuam subeat, sed hoc facto, neque ad consanguineos & familiares suos neque in ciuitatem ex qua oriundus est, reditus ipsi vnquam patet.

Verum rarissime hoc certamẽ instituitur, nec nisi causa admodũ seria & ardua existente, tali modo, litem dirimere alicui concessum est. Nam cognita prouocatione aliqua consanguinei & familiares omnem mouere lapidem solent, vt sedata contentione, reconciliationem inter partes faciant, ne in arenam descendentes, sibi & suis malum incomparabile attrahant.

CAP. XXVII.

DE IVDICIIS FORENSIBVS ET DELICTORVM POENIS; quomodo nimirum iudicia instituantur, quomodo accusatos in iudicio, si factum negent, explorent, & quomodo conuictos, pro ratione facti, vel ciuili pœna, vel capitali supplicio afficiant.

ACERRIMI sunt mandatorum regiorum vindices, ea enim sanctissime omnibus sunt seruanda, ita vt si vel in minimo quis peccet, è vestigio impositam mulctã persoluere sine vlla tergiuersatione, vel ciuitate & territorio Regis excedere cogatur. Quod si quem igitur mandatum aliquod regium violare & trãsgredi contingat, atq; aliquis sit, qui eius rei notitiã habeat, is non statim quidem transgressorem in ius vocat, vel eo nomine accusat, sed per tres, quatuor & plures interdum annos id egregie dissimulat, donec sibi tandem malum aliquod vicino suo creare placeat, tunc enim ad vicariũ vel præfectum Regis sese cõferẽs, rem omnẽ ei exponit, qui tympanum statim pulsari iubet, Moris enim est, apud eos, vt si quãdo iudicium aliquod publicũ fieri debeat, seruus quidã, suspensum à collo tympanum, per totam ciuitatem ambulando pulset, ciues quasi hoc modo convocans, vt spectatum in forum procedant.

Mandata Regum sanctè seruanda.

Proclamatio iudicij publici.

Pulsato igitur tympano Pręfectus statim Regius cum nobilibus suis omnibus in forũ armati procedentes cõsident, accurrente & cõgregante sese statim vniuerso populo, visum nimirũ quid futurum sit. Et mulieres quidem in peculiari loco consistunt, Viri vero propius aliquanto accedunt, auditum, quid præfectus dicturus & in medium prolaturus sit.

Iudicium publicum quomodo instituatur.

Quod si igitur Reus iste propter quem iudicium hoc institutum est, in cætu illo forsitan præsens adsit, facta statim denominatione cõprehẽsus in ædes pręfecti deducitur, vbi vel vinculis constrictus & ligatus, si res ardua sit & grauis, vel solutus & liber, si causa leuior sit, & non vsque adeo seria, per spiculatorem cõseruatur, ita vt ne pedem quidẽ domo mouere possit, donec causa transacta iudicium finiatur. Nob les enim & senatores omnes interea in foro residentes, cognitioni causæ student, Facta igitur accusatione, & delicto in medium prolato, admonetur per præfectum, qui ad hoc delectus domum concedit, reliquis in foro expectantibus, vt ad illud respondeat, quod si nõ cõtinuo & sufficienter facere possit, mulctę adiudicatur, quam sine vlla exceptione pręstare cogitur, si vero tantum in bonis non habeat, vt exoluere eam possit, Regis statim nomine seruus declaratur, & pro mancipio venditur, ne Regi quid de mulcta decedat, Quo facto, seruus per omnem suam vitam manere cogitur, nec vnquam seruitutis hoc iugum excutere imposterum potest.

Reus quomodo interrogetur & condemnetur.

Pœna homicidij.

Quod si quis igitur homicidium fecerit, quod quidem capite alias luendum est, potest sese ab hoc supplicio liberare & vindicare, si cum Rege agat, & ei hoc nomine satisfaciat, Et hæc quidem mulcta inter *Morianos* siue nobiles aulicos distribuitur, ita vt media pars ipsis cedat, alterum vero dimidium fisco regio applicetur, Hoc vero facto homicida ille prorsus liber est ab omni impetu & actione amicorum defuncti, ita vt imposterum nullam aduersus eum actionem instituere, quin imo ne conuenire quidem eum & compellare hoc nomine possint, cum Regi satisfecerit, qui eum ab omni iniuria consanguineorum interfecti vt defendat & tueatur, virium satis habet.

Pœna adulterij, tam ex parte viri, quam ex parte mulieris.

Quod si quis in adulterio deprehensus, cum vxore viri cuiusdam rem habuerit, quam multis & splendidis promissis ad tantum nefas sollicitatam & invitatam decepit, Rex quidem adulterum omnibus bonis exuit, & mulier suo ipsius viro mulctam, nimirum vel quadrantem vel sextantem auri persoluere tenetur, ni repudiari ab eo velit, quod ipsi hoc casu permissum est, ita vt dato ei repudii libello, aliam statim ducere vxorem possit. Porro consanguinei deceptæ istius mulieris, ædificium facinorosi istius viri qui adulterium commisit, igne succensum funditus extirpant, omnibus eum modis persequentes, donec tandem ex ciuitate discedere, & alium sibi locum quærere cogatur, ne facinore eius & flagitio lacessiti subinde pudore suffundantur.

Adulterium punitum.

Accidit aliquando vt vir quispiam in ciuitatem cuius iure quidem ipse non fruebatur, debitorum quorundam exigendorum causa profectus, à muliere quadam, ad mercatum simul eo profecta, quam ipse splẽdidis promissis inductam, ante annum violauerat, forte conspiceretur, Hæc igitur eo viso, ad præfectum vrbis, qui *Æne* ipsis dicitur, se recipiens, Virum accusat, & vt comprehenderetur impetrat. Congregato igitur iudicio, prodit mulier accusans virum istum, quod pro vitio sibi oblato, mercedem promissam non soluisset, cui ipse respondens, illud non invita sed expetente & volente muliere factũ esse contendit. Quãuis autem neutra pars priuilegiis istius ciuitatis gauderet, nihilominus tamen in adulterum sententia lata est, post multam enim disceptationem, accessit tandem *Fetissero* seu sacrificus quispiam, qui sacris ipsorum præest, allatumque potum in olla quadam ad pedes præfecti & senatorum deposuit, Accurrens igitur mulier ex olla bibit, in confirmationem veritatis, & testimonium, quod pro oblato sibi vitio satisfactum nondum esset. Quod si autem vir prior potum illum gustasset, in testimonium, quod mulieri hoc nomine satisfecisset, absolutus quidem iudicio fuisset, Atqui cum reum sese agnosceret, & potum gustare timeret, pœnam euitare non potuit, prolata igitur sententia, in 3. *Bendas*, siue selibram auri damnatus est.

Aliquis falso delatus absoluitur.

Accidit similiter vt aliquis litem alicui moueret, de fratre suo, ante biennium defuncto, Accedens igitur ad Regem, accusat eum, quasi fratrem suum interfecisset auxilio sui *Fetisso*, quem in perniciem fratris exorasset. Rex audita accusatione comprehensum eum iudicio sisti iubet, qui respondens, sancte affirmabat, nihil per totam suam vitam litis & dissensionis sibi cum fratre Actoris intercessisse, seque tempore mortis eius præsentem ibi non fuisse, sed in alia ciuitate habitasse, Cui Actor respondens dicebat, precibus eum à *Fetisso* obtinuisse, vt fratrem suum interficeret, quod ipse constanter negans, potum à *Fetissero* afferri petebat,

bat, quem cum ea conditione bibisset, quod *Fetissum* in perniciem defuncti non invocasset, & plane innocens mortis eius esset, iudicio absolutus est.

Potus hic iurisiurandi vim obtinet, & ipsis *Enchionbenou* dicitur, paratur vero ex herbis recentibus, quarum vsus est in faciendo *Fetisso*, Dicitur eius esse efficaciæ, vt qui eo contra conscientiam suam falso vtitur, à *Fetisso* suo subitanea morte puniatur, bibentibus vero eum in confirmationem & testimonium innocentiæ suæ, cuius sibi optime sunt conscii, nihil detrimenti inferatur. Beneficio igitur huius potus veritatem & innocentiam alicuius explorare possunt; vt ita difficile ipsis amplius non sit sententiam ferre, cum Reus aliquis qui sibi male conscius est, seipsum accusare, & iudicium quasi contra seipsum pronunciare cogatur, metu nimirum *Fetisso* sui, cum sibi omnino persuasum habeant, neminem, qui contra conscientiam suam potum hunc bibat, mortem euitare posse. Accusatus igitur in iudicio aliquis, si factum neget, & innocentiam suam iureiurando confirmare paratus sit, ad potum hunc statim remittitur, quo allato, aliter facere non potest, quin veritatem aperiat, & fateatur quod res est. Nec est, quod cogites posse delictum aliquod diu in istis regionibus latere & celari, cum enim odio laborent inuicem & inuidia maxima, alter alteri non parcit, sed si cognoscat, ab altero quid peccatum esse, defert illud ad vrbis præfectum, nec pœnam quis euitare potest, etiamsi vel ante decem annos delictum illud commisisset.

Potus quo veritatem in iudiciis explorant; vnde paretur.

Si condemnatus aliquis mulctam impositam Regi persoluere non possit, & vero aliquem habeat siue consanguinitate siue affinitate sibi coniunctum, qui sub ditione eiusdem Regis habitet, accersitus ille pecuniam exponere pro ipso cogitur, ni vna cum Reo vrbe excedere velit, Regi enim modis omnibus satisfaciendum est, etiamsi cognati damnum facientes nihil inde recuperare possent. Hoc enim nisi fiat, & nisi mulcta illa tempestiue persoluatur, non reus tantum sed cum eo omnes etiam consanguinei & amici eius vrbe excedere, & tamdiu exulare coguntur, donec Regi satisfactum & certamen omne sublatum sit, tum enim ad possessiones suas redire ipsis permittitur. Cæterum reuersi tali casu, omnes, quibus cum notitia & familiaritas ipsis intercessit, adeunt, culpam & ignominiã istam deprecantes, vt ita imposterum trãquille & amice rursus ipsis cohabitare, & rem suam familiarem absque perturbatione administrare posint, Viri igitur suos amicos, quibus cum conuersandum ipsis est, mulieres vero itidem suas vicinas & alias salutant.

Pœna in consanguineos etiam redundans.

Causa autem cur consanguinei etiam cum damnato aliquo, qui soluendo non est, loco cedere soleant, hæc est vt ita ab incursionibus & molestiis Regis tuti esse possint, qui alias crebra compellatione ipsis non parum negotii facessere solet, donec pro damnato suo consanguineo pecuniam tandem exponant & regi hoc nomine satisfaciant. Ne igitur detrimentum aliquod ex delicto affinis & amici sui capiant, & pernitiem sibi aliquam attrahant, excedere potius ciuitate, & solum vertere, quam cum iactura rerum suarum domi manere expetunt, præsertim cum impensam sibi à suo affine, in solidum restitutum iri sperare vix possint.

Cur consanguinei cum condemnato solum vertant.

Pœna vel mulcta furti, sunt tres *Bendæ* seu selibra auri puri, Non enim propter furtum capitali afficiuntur supplicio, & hæc etiam pœna non omni

Pœna furti.

omni furto dicta est, sed tantum furto interno & domestico quasi, cum alter alteri in sua natione aliquid surripiat & auferat, si quis autem Batauis aliquid ereptum sit in hoc quidem furtum nemo est qui animaduertat.

Pœna auri adulterati. Si quis aurum adulteratum Batauis pro bono obtrudere volens, ad Regem deferatur, adulterator ille pœnam incurrit, & pœna ista pro ratione delicti exasperatur, ita vt interdum etiam ad perpetuam seruitutem hoc nomine condemnentur. Ita igitur delictis singulis, singulæ etiam pœnæ sunt impositæ, & mulctæ hæ omnes fisco Regis applicantur, ne ipsi quid decedat, & vt semper habeat, vnde conuiuia instituere, potationibus indulgere & cuticulam cum aulicis suis curare lautius possit.

Pœna capitalis quæ sit ratio. Quod si quis vero delictum eiusmodi commisisset, quod non nisi capitali pœna expiari possit, absq; incarceratione diuturniori, ad mortē condemnatus spiculatori vel carnifici commendatur, Is obligatis oculis, & manibus in tergum reuinctis, in campum eum extra vrbem deducit, ibique demisso nonnihil capite, in genua procidentem, sagitta vel hasta missili transfigit, vt semianimis in terram proruat, quo facto, caput securi resecat, Non enim existimant vere aliquem mortuum & vita defunctum esse, nisi absciso à ceruicibus capite, corpus in quatuor partes dissectum, auibus & volatilibus cæli in cibum proiiciatur, Peracto supplicio, consanguinei & amici eius, eum deploraturi conueniunt, Et viri quidem insertum in ollam caput, tamdiu coquunt, donec ossa cute & carnibus nudata appareant, tunc enim & iusculo & carnibus deuoratis cranium illud cum *Fetisso* suo honorifice reponunt. Mulieres vero lachrymis & eiulationibus indulgentes, in querulas sæpe voces erumpunt, & miseriam infelicitatemque defuncti lamentantur. Comites quidem itineris, qui spectatum supplicium, portis egrediantur, damnatus non habet, At vero peracto supplicio, ingens denso sese agmine multitudo offert, quæ vicem & miseriam eius doleat atque deploret.

Lamentationes ob aliquem capitis supplicio affectum.

CAP. XXVIII.

DE FVRTIS IPSORVM, QVAM CAVTE NIMIRVM *furari, & furta sua occultare possint.*

IN furando tam sunt exercitati, vt nullum sub sole populum esse putem, cui hac in re quicquam concedant, Est quidem furto grauis pœna imposita, ita vt alter alteri quicquam furari non audeat, ni pœnam velit incurrere grauissimam, Et si forte furtum aliquod in ciuitate commissum sit, tot passim execrationes & detestationes eius audiuntur, vt nihil supra, Verum accidit tamen aliquando, maxime tamen nocturno tempore vt furto aliquid alteri eripiatur. Itaque Rex ad præcauendum hoc malum, cum animaduertit, querelas hoc nomine in populo esse quod aliqui, posthabito Regis mādato, manus suas furto contaminarint, summo diluculo per præconem in plateis proclamari iubet, vt à furto sub capitis pœna abstineant, vt ita renouato & in memoriam ipsis reuocato rursus mandato suo, iustam habeat causam in fures animaduertendi, & nemo furti nomine accusatus, ignorantiam prætendere possit.

Furtum prohibitum.

Quem-

Quemadmodum autem turpe existimant alicui ex suis, furto aliquid eripere, sic contra honestum & laudabile putant Batauis aliquid furari, Eos enim prudentes, ingeniosos, agiles & ad rem suam attentissimos esse statuunt, ideoque existimant artis esse eos fallere, & qui aliquid ipsis possit subtrahere, eum prudentiorem & alacriorem prædicant, vt ita honori sibi ducant maximo si quid Batauis furto auferre possint.

Batauis aliquid furari laudabile putant.

Venientes igitur in nauim hoc proposito vt aliquid Batauis furentur, magnum comitatum, & sportas admodum capaces afferunt, quas ex iunco contextas ipsi *Akoffo* vocant, postea omnes commissario vel Nauclero assidentes, omnia perscrutantur, simulantes se multas merces empturos, Itaque Nauclero multum sese venditurum existimante, & multa variaque bona proferente, ipsi interim in omnes occasiones intenti, id agunt sedulo, vt aliquid furentur, & clam subtractum occultent, quod ipsum etiam dici vix potest, quam celeriter efficere possint, cum natura sua ad furta ferantur & ab hoc vitio abstinere nullo modo possint

Natura ad furtum propensi.

Hinc videmus eos vix vnquam ex naui discedere, quin aliquid, quicquid illud etiam sit, secum auferant, Nam etiam nullius fere momenti res abducunt, si preciosius quid furari ipsis non liceat, vnde commissario siue Nauclero pondera surripiunt, quibus in ponderando auro vti solet, quod si enim ea tantum ex manibus deponat, & non intentis semper ad ea oculis respiciat, pereunt, vt nescias quo devenerint, Nigritis ea vel in ore vel in auribus vel in capillis vel alio modo abscondentibus, sic clavos ferreos rubigine fere consumptos, axungiam, qua nautæ trochleas in malo, vt velis & carbasis vel attrahẽdis vel remittẽdis aptiores fiant, inungere solent, perpendicula & bolides, laminas item plumbeas naui extrinsecus ad teredines ab erosione ligni prohibendum obductas, & id genus alia, furto subducere cernuntur, naturam suam ad furta propensissimam hoc modo satis prodentes.

Atque hoc quidem ingenio communiter omnes deprehenduntur, siue diuites sint siue non, Nam licet quidam interdum sint, qui duas, tres & plures secum libras auri afferant, & merces plurimas emant, mercaturamque satis diuitem exerceant, eo tamen omnes animo sunt, vt si quid, præterquam quod emerunt, abducere secum possint, in se quidem nihil desiderari patiantur, quamuis contra si ipsis aliquid ereptum sit, grauissime id ferant, & ingentes propterea dare turbas soleant.

Omnes ad furta propensi.

Quod si autem in furto deprehensi, à Batauis reprehendantur, iniquam hanc esse reprehensionem conqueruntur minimeque eam Batauos decere asserunt, interrogati vero, cur à furtis non ipsi quoque abstineant? respondent se propterea culpari non posse, vtpote quibus aliquo modo concessum sit, Batauos defraudare & furto ipsis aliquid eripere, quod tamen Batauis contra non liceat, idque hac de causa, quod Bataui diuites sint & rebus omnibus abundent, imo cum tantum bonorum habeant, vt plenis ea nauibus ad loca alia deferant, indicio id esse, se multitudine bonorum nimia grauari, velle igitur Batauis gratificari, & onere isto grauatos liberare, vt eo citius se expedire & terram suam repetere posſint. Contra vero se pauperes nudos & rerum omnium egenos esse, nec habere quo sese tegere & operire posſint, vt ita minus quam alii sint propter furta reprehendendi.

Furti excusatio.

Quod si quid igitur in naui amissum sit, & Nauclerus id animaduertat, necesse est perscrutationem ἐπ' αὐτοφώρῳ quasi & dum factum adhuc recens sit, fieri, donec qui furtum commisit deprehendatur, quo facto, *Furti pœna.* fur iste verberibus excipiendus, & non dimittendus est donec ablatum restituat, qui postmodum omnibus risui est, & à suis insuper reprehenditur, quod furtum suum melius celare non potuerit. Verum si animaduertant furtum percrebuisse & manifestum factum esse, metuantque ne inquisitio fiat, absque vlla cunctatione ex naui descendunt, & Nauclero isti valedicunt, non facile vnquam ad istam quidem nauim reuersuri.

CAP. XXIX.

DE FIDE IN PROMISSIS ET PACTIS NVLLA, ITEMQVE de iuramentis ipsorum quibus nimirum ceremoniis ea perficiantur.

Nigritis fides non habenda. VERBIS, promissis, pactis, & iuramentis ipsorũ, fides nulla habenda est, cũ leues omnino sint & mendaces, Nã nihil celare possunt; & licet alicui iuramentũ præstent, mox tamẽ quod ipsis secreto commissum est alteri aperiunt, qui id peruertere multis modis potest, quemadmodum *Carolus* quidam *Huscherus*, qui constituerat castellum de *Mina* expugnare, cum ingenti suo damno nuper deprehendit.

Quod si autem alter alteri in sua natione aliquid promittat, & iureiurando id confirmet; tunc nõ facile fidem fallunt, sed promissa seruant fidelissime. *Iuramentorum ratio & ceremonia.* Iuramentũ autem prçstare volentes; faciem suam pedibus primo eius cui illud prçstandum est, deinde humeris, pectoriq; & toti tandẽ corpori admouent, exclamantes magna voce; *Iau, Iau, Iau.* Hoc vero tertio repetunt, perstrepentes manibus pedibusque & *Fetissos* suos quos brachiis pedibusq; alligatos habent, deosculantes. Alii in confirmationem veritatis potu vtuntur, de quo supra dictum est. Has vero ceremonias interdum etiam adhibent Batauis iuramentum præstantes, verum si quis eis propterea fidem adhibere vellet, deceptum sese tempestiue videret, cum ipsis vltra quã videas fidendum nihil sit. Verum quidẽ est, eos qui in *Mourre* habitant multa consilia Lusitanorum in castello *La Mina* habitantium Batauis prodere solere, sed hoc non eam ob causam faciunt, quasi Batauis tam fideles essent, sed propter ingens odium, quo erga Lusitanos flagrant.

CAP. XXX.

DE PARTIBVS ANNI ÆSTATE ET HYEME IPSORVM, itemque de agricultura, quomodo frumentum serant & colligant, & quid Regibus suis inde persoluere cogantur.

QVAMVIS per vniuersam hanc regionem frigus nullum sentiatur, & quasi continua æstas esse videatur, habent tamen aliquam temporum differentiam, certos quosdam menses æstati, certos itidem hyemi tribuentes. *Discrimen æstatis & hyemis.* Differentiam vero æstatis & hyemis, varietas tempestatis efficit, Arbores enim semper virides & foliis suis ornatæ apparent, & reperiuntur quædam,

quædam, folia sua bis in anno deponentes. Sed agri æstiuo tempore aridi sunt & steriles, ab ingenti nimirum æstu exsiccati, hyemis autem tẽpore, frugibus ornati florent, vt ita autumnus ipsorum in hyemem incidat, quo frumentum & fruges quaslibet, in horrea sua colligãt. Æquinoctium habent quasi perpetuum, ita vt vix differentia aliqua dierum & noctium appareat, dies enim & noctes semper æquales deprehenduntur, & sol idem semper tempus quo oriatur, & occidat, retinet. Nam veluti per totam Orientalem Indiam, sic hoc etiam in loco, vt matutina sexta oritur, sic sexta rursus vespertina occidit, quamuis negari non possit, cum dimidia hora iam ante exortum esse, quam apparere incipiat, & ortus occasúsque tempus verum non tam exacte, & præcise, sicut in nostris regionibus annotari possit. *Æquinoctium continuum.*

Fructibus per totum annum semper abundant, ita vt nullus eorum vnquam defectus sentiatur. Hyemi autem eos assignant menses, quibus solem verticalem habentes, æstum maximum experiuntur, veluti sunt Aprilis, Maius & Iunius, quibus mensibus pluuias habent frequentes fulguraque & tonitrua experiuntur creberrima & maxime abominanda, quas tempestates à nimio solis calore & æstu prouenientes, Lusitani quidem *Trauados*, ipsi vero *Agombrotou* sua lingua vocant. Cumque à pluuiis & imbribus terra hoc tempore bene rigetur & fœcunda efficiatur, solent hisce mensibus frumentum suum terræ mandare, cum alias æstiuo tempore propter siccitatem terra nihil proferre possit. *Menses hyberni.*

Appropinquante igitur hoc tempore apto scilicet ad operas rusticas & agriculturam, in campum vel syluam euntes, locum sibi conuenientem eligunt, vbi frumentum ferant, Agrum enim nemo proprium habet, quo tanquam suo, pro se vtatur, sed in Regis potestate omnis ager syluaque & campus existunt, ita vt sine peculiari eius permissu, quicquam vel plantare vel seminare nemo possit. Cæterum impetrata à Rege venia, cateruatim egrediuntur & locum quem elegerunt à frutetis, spinis & sentibus purgant, igne nimirum omnia comburentes, & inutilem herbarum luxuriem extirpantes. Runcatum postea agrum, & carbonibus, ei nimirum stercorando inseruientibus, ab exustis arborum ramis oppletum oblongis ligonibus, quos ipsi *Coddon* vocant, ad pedis vnius profunditatem bene defodiunt, & ad dies octo vel decem requiescere sinunt, donec omnes incolæ agros suos ita præpararint, tum enim de semine sibi prospiciunt, & omnes ad aulam Regis die quem loco Sabbathi, festum habent, congregantur. Eius enim frumentum primo omnium seminandum ipsis est, Congregati igitur simul in agrum egrediuntur, euulsisque arborum & ramorum reliquiis, agrum secundo fodiunt, & semen ei tandem committunt. *Agri omnes ad Regem pertinent.*

Initium autem faciunt die Sabbathi sui, & primo Regis vel præfecti Regii frumentum terræ mandant, qui circa vesperam finito labore in agrum deferri iubet aliquot lagenulas vel vascula vini de Palma, carnisque vervecinæ & cibariorum aliorum tantum, quantum sufficere operariis existimat, qui finito labore discumbentes in terram edendo & potando hilares sese præbent, quin & radices & sarmenta in vnum comportata incendunt, cantantes, & choreas circa ignem istum ducentes, in honorem scilicet Numinis sui *Fetisso*, vt benedictionem ab ipso impetret & frumentum bene succrescens augeatur. *Quo ordine semina terræ cõmittant.*

Sequenti die ad agrum alterius cuiusdam vicini omnes simul pergunt,

gunt, laborantes ibi æq; vt in agro Regis, Cumq; peracto labore advespe-rascit, pari lętitia allatū à Domino istius sementis cibum capiunt, & choreas circa ignem ducunt, vt benedictio Numinis sui *Fetisso*, huic etiam frumento affulgeat. Atque sic ab vno ad alium transeunt, operas enim coniungunt, & coniunctis viribus sementem faciunt, ab vnoquoq; pro viribus, satis laute excepti atque tractati.

Frumentum ipsorum cito germinans. Commissum hac ratione & terræ mandatum semen, breui temporis spacio pullulare & germinare cernitur, non enim diu in terra abscondi-tum latet, Cumque altitudinem viri assecutum est, & flores iam ex spi-cis prominent; taberñam quandem ex ligno in medio agri extructam stramine contegunt, filiosque suos in ea collocant, vt frumenti rationem habeant & ab auium pernicie illud vindicent, Lolium enim & Zizania non euellunt; sed simul crescere sinunt vsque ad tempus messis, nec aliunde perniciem vllam quam ab auibus metuunt.

De Milio Indico. Milium ipsorum spicas habet oblongas, suntque granula colore quidem semen cannabis æmulantia, sed forma tamen nonnihil oblongiori, glumis siue vtriculis & folliculis, aristas nullas habentibus inhæret, instar Dipsaci herbæ, fractum vero & comminutum, candidissimum apparet. Et hoc quidem frumenti genus semper habuerunt, etiam ante Lusitanorum aduentum, succrescit spacio trium mensium, quibus exactis abscinditur, & in terram depositum vnius adhuc mensis spacium requirit, vt calore solis probe exsiccetur & percoquatur. Postmodum spicas culmis resecant, inque fasciculos collectas domum deportant, stramine operiendis vel muniendis quasi & cingendis ædificiis suis destinato.

Panes ex milio. Milium hoc, frumenti genus optimum est, ex quo facili labore & cura, panes pinsere licet, cum non sit crassum & durum, sed molle admodum & attritu facile; massam statim conficiendis panibus aptam, præbens, qui quidem panes, si recte pinserentur, possent fere vnius esse coloris, cum panibus, quos nostri ex farre seu zea conficiunt, Verum cum fornacum & clibanorum vsum ignorent, & massam istam foco ab ignitis saltem cineribus calenti, imponant, colore ad placentas ex legumine quodam, quod panicum quidam, quidam fagopyrum vocant, factas, accedunt, saporis tamen boni sunt, & nutrimentum salutare hominibus præstant, inter edendum dulcedine quadam linguam afficiunt, licet interim dentes nonnihil offendant, quod arenulis ex lapide molari contractis abundent.

Tributum pro vsu agrorum. Tempore messis, vbi frumentum in horrea collegerunt, partem aliquam illis vendunt qui sementem non fecerunt, vt Regi tributum pro vsu agrorum persoluere possint. Nihil autem certi hoc nomine ipsis constitutum est, sed quilibet auri tantum, quantum sibi videtur satis esse, ad præfectum Regis defert, qui, donec ab omnibus tributum illud accipiat expectat, Cumque collectas habet *Bendas* auri 5. vel 6. omnibus illis stipatus agricolis, ad Regem proficiscitur, aurum illud ei afferens, qui pro munere isto gratiam ipsis habet maximam, prandioque eos liberali exceptos & bene potos à se iterum dimittit.

CAP.

CAP. XXXI.

DE FRVMENTO ALIO QVOD IPSIS MAYS, NOBIS *triticum Turcicum vocatur, quomodo in hanc regionem pervenerit, & quem ipsis vsum præbeat.*

HOc frumenti genus, quod ipsis *Mays*, aliis vero triticum turcicum, vocatur, paſſim iam per vniuerſum terrarum orbem innotuit. Primo quidem ex *America* in inſulam *S. Thomæ*, & inde poſtea à Luſitanis ad hæc loca delatum eſt. Antequam enim Luſitani in has terras veniſſent, frumentum hoc Nigritis plane ignotum fuit, quo vero iam ita abundant, vt tota regio eo oppleta quaſi videatur. *Mays vnde acceperint.*

Vtuntur autem eo ad conficiendos panes, milio nimirum ſuo illud admiſcentes, Quidam autem cum Luſitanis frequenter verſantes, ſeorſim illud terunt, panes inde conficientes præſtantiſſimos, quos poſteà Luſitanis & aliis diuendunt, & non parum inde lucrantur, cum eos ita parare poſſint, vt quadrimeſtres ſæpe fiant, & aliquot menſibus ſupereſſe ſoleant. Filii ipſorum frumento hoc, panis loco ſæpe veſcuntur, excuſſo nimirum ex ſpicis & ariſtis igne nonnihil toſtis & præuſtis, ſed ſi frequentius paulo eo vtantur, à ſcabie ſeſe vindicare non poſſunt, cum ſanguinem gignat nimis calidum & aduſtum quaſi. Nutrimentum alias bonum, & ſalutare præſtat, ſapore vero, à tritico noſtro vulgari non multum abeſt. *Panes ex hoc frumento.*

Indiani in America ex panibus huius frumenti potum conficere poſſunt, quem ipſi *Chicka* vocant, eſtque potus inebrians ſicut vinum ex uvis paratum, Atque idem artificium etiam quidam huius loci animaduertiſſe videntur, frumentum enim hoc aqua probe maceratum coquunt, atque ita potum Cereuiſiæ non abſimilem, quem ipſi *Pittouwe* vocant, inde parant. Hoc autem illi plerunque tantum faciunt, qui cum Luſitanis multum conuerſantur. *Potus ex tritico Mays.*

Requirit autem hoc frumenti genus, agrum calidum & humidum, & bis in anno fructus ſuos præbet, Non ſeritur modo vulgari, ſed per poſitionem & inſitionem quaſi vt piſa noſtratia, terræ mandatur. Non diu autem ſub terra latet, ſed breui temporis ſpacio erumpens creſcit, donec altitudinem viri aſſequatur, culmos habet arundini in paludibus apud nos paſſim creſcenti, nō abſimiles, qua ruſtici in caſis & horreis ſuis contegendis vulgo vtuntur. Quamuis autem ſpicas protrudat graues & ponderoſas, ita vt cucumeres æmulari videantur & culmus in ſummitate admodum tenuis fragiliſque ſit, in formam quippe pyramidis faſtigiatus, attamen ab vno ſæpe culmo 7. & 8. pendere ſpicas videas, vt ita ab vno culmo ex vnico granulo prognato, 550. interdum grana colligere poſsis. *Quomodo feratur.* *Quomodo creſcat.*

Coloris porro non eiuſdem ſed varii hæc grana cernuntur, ſic enim alba quædam & nigra, quædam flaua & cerea, quædam rubicunda, roſea, purpurea &c. reperiuntur. Quin etiam vna interdum ſpica diuerſi coloris grana profert, Differunt autem quantitate, quædam enim maiora ſunt, quædam minora, ſed efficaciam tamen illa maiorem habent, ſtramen vero cum Equis hæc regio deſtituatur, in pabulum non conuertitur, ſicut in America, vbi nutriendo pecori *Color huius frumenti.*

etiam inferuit, & pabulum dicitur eſſe noſtro tritico vel hordeo non abſimile.

Cap. XXXII.

DE PLVVIA, CVR EAM TANTOPERE VITENT, ET *corporibus ſuis excipere abhorreant.*

PLVVIAM ſummo ſtudio vitant, &admodum pernicioſam corporibus ſuis nudis exiſtimant, Cuius quidem rei cauſas etiam habent non contemnendas, cum non admodum ſalutarem eam eſſe Batauí ipſi haud raro deprehenderint, idque potiſſimum temporibus illis,quæ ipſi *Trauados* vocant,& tribus menſibus Aprili, Maio, Iunio, reſpondent, quibus menſibus tempeſtates maximæ, fulgura & tonitrua horrenda, ventique & pluuiæ admodum frequentes ibi exiſtunt.

Pluvia pernicioſa.

Pluuia certe quæ ſub æquinoctiali linea decidit, tota rubicunda eſt, & adeo pernicioſa, vt ſi aliquis ea madefactus ad ſomnum ſeſe non exutis veſtibus componat, quod quidem nautis familiare eſt & vſitatum, morbum ſæpe contrahat periculoſiſſimum. Nam & experientia teſtatur,quod ſi veſtimenta pluuiali aqua madefacta, antequam ſoli expoſita & probe exſiccata ſint,ſeponantur, breui temporis ſpacio adeo conſumantur & corrumpantur, vt putrefacta quaſi goſſypium vel lini ſtupam, digitis facilime diſtrahere & lacerare poſſis.

Pluvia veſtes conſumit.

Hinc apparet non ſine cauſa pluuiam eos vitare, cum præſertim nudis corporibus incedentes incommodum inde percipere facile poſſint. Hinc igitur pluuiis ſeſe celeriter admodum ſubducunt, & inter currendum, ſi forte pluere incipiat, complicatis ſuper humeros brachiis, pluuiam corporibus ſtudioſe prohibent arcentque. Adeo enim exhorreſcunt ad eius guttas, ac ſi febri corriperentur, idque non quidem quaſi aqua iſta frigida eſſet, cum adeo ſæpe deprehendatur calida, ac ſi igni admota fuiſſet, ſed hæc horroris iſtius cauſa eſt, quod natura eorum à crudis humoribus ſit alieniſſima, vnde etiam noctu dormientes, igni obuerſos pedes habent, vt ſupra dictum eſt. Itaque inter cauſas alias, cur oleo & vnguento ſubinde vtantur, hæc etiam non poſtrema eſt, non tantum vt corpus ſuum crebris hiſce inunctionibus nitidum reddant, ſed etiam vt ab aqua pluuiali illud vindicent, cum oleum non facile aquam adhæreſcere & ſeſe per occultos meatus corporibus inſinuare patiatur, quæ quidem inſinuatio, grauiſſimorum ſæpe morborum cauſa exiſtit.

Cur aquam pluvialem abhorreant.

Cap. XXXIII.

DE SCAPHIS ET NAVICVLIS IPSORVM QVIBVS IN MARI vehuntur, quot nempe generum ſint, & ex qua materia, quaque ratione formentur.



SCAPHAS & nauiculas quibus in mari vehuntur, ipſi *Ehem*, Indiani vero alii *Canoës*, & Luſitani *Almadias* vocant, parantur vero ex trunco arboris integro, cui nullæ particulæ, nulla ſegmenta & aſſeres impinguntur, alia prorſus ab illis quibus

bus *Bresiliani* & ad *S. Thomam* habitantes vtuntur, quasque ipsi *Iangados* vocant forma, quemadmodum etiam ab illis prorsus discrepant, quas in India Orientali alias Phragos vocant. Quamuis autem admodum leues sint, & nullo pondere aggrauatæ, celeri tamen cursu in mari feruntur, & cum humiles admodum sint, nautas à quibus reguntur, medios sæpe in aqua sedere necesse est, longitudinem habent quæ septem vel octo capere personas possit, si nimirum singilatim sedeant, eius enim latitudinis non sunt, vt binos coniunctim sedentes capiant, Insident autem sellis minoribus, quas singuli ex ligno factas, secum adferunt, & medii semper conspiciuntur, manibus remos tenentes, palæ seu infurnibuli instar ex ligno factos, quibus nauiculam à Nauclero, ad clauum sedente, gubernatam protrahunt. *Scapha quales.*

Sagittarum autem in modum celerrime in mari feruntur, ita vt volare quasi videantur nulla vel celoce vel cymba assequi eas aut præuertere possis, idque potissimum mari quieto & placido, quo etiam ab vno gubernari facile possunt, at turbulento, & fluctus ciente mari, sustinere eas vix plures possunt, facile enim subuertuntur, vt necesse sit eos probe attendere in quam partem promineant, nisi enim sese subinde vertant & ab vno latere in alterum pro motu eius vario inclinent, facile subuersis scaphis in mare labuntur, quæ quidem etiam causa est, quod Bataui iis vti commode non possunt. Nam & Nigritas interdum, iis subuersis, in mare incidere accidit, qui tamen mira agilitate etiamsi aquis immersi sint, nauiculas rursus erectas aqua liberare, & insilientes ipsis, iter suum continuare possunt, ita vt littus legere necesse ipsis non sit. *Quam celeriter nauicula progrediantur.*

Possunt quidem cum illis ad 5. vel 6. miliaria in mare excurrere, sed cum maris impetum sustinere & aduersis fluctibus progredi admodum sit difficile, matutino plerunque tempore iter ingrediuntur, vt negotiis suis mature peractis, circa meridiem, cum venti plerunque contrarii mare conturbare cernuntur, littus legere, & scaphas suas in aridam deducere possint. *Quousque hisce scaphis progrediantur.*

Vulgarium autem scapharum longitudo 16. latitudo vero vnius cum dimidio vel ad summum duorum pedum esse solet. Sed & aliud genus habent, quo non nisi in bellis, itemque in advehendis bobus aliisque pecoribus vtuntur, & huius generis reperiuntur quædam magnitudine & capacitate sua cum cymbis nostratibus certantes, cum & tormentis, si opus sit, muniri, & malum, vnde carbasa dependeant, sustinere possint. *Scapha minores & maiores.*

Huius autem generis naues, 35. pedes longæ, 5. latæ, & 3. altæ plerunque esse solent, & puppim habent rotundam atque sessilem, transtris ex solido ligno constantibus exornatam. Fiunt vero potissimum in promontorio seu *Cabo de Tresfunctas*; vbi arbores admodum proceræ & solidæ crescunt, quarum aliæ 16. aliæ 17. & 18. interdum Orgyas in circumferentia complent. Lusitanis maxime inseruiunt, qui alimenta hinc inde coëmpta ab vno castello ad alterum deferre coguntur. Sed & Nigritæ eis vtuntur, velis nimirum & funiculis ex arborum corticibus, iunco item & stramine confectis, eas instruentes. *Maiores vbi fiant.*

Minores magna copia in *Anta* fiunt, cum locus iste idoneis arboribus admodum abundet, veneunt autem ibi plerunq; vno *Peso* auri, quod flore- *Minorum magna copia.*

florenos Francofordienſes 4.fere conſtituit. Maiorum non eſt magna frequentia, ſed minores paſſim magna copia reperiuntur, inprimis vero in *Agitaki* vel *Aldea de Torto*, qui locus piſcatoribus multis habitatur, qui 70.vel 80. interdum ſcaphis piſcatum in mare proficiſcuntur. Peractis autem negotiis cum domum reuertuntur, non quidem ſcaphas ſuas in aqua relinquunt, ſed in aridam ſtatim protractas, ad locum eis deſtinatum deferunt, vt & à putredine vindicentur, & leuitatem etiam ſuam conſeruent, quam attracta aqua amitterent. Eius enim leuitatis ſunt, vt à duobus viris in humeros acceptæ, ad locum deſtinatum facile deferantur.

Quomodo ſcaphæ fiant.

Parantur autem hoc modo, primo lignum quoddam ſecuribus ſiue aſciis quas à Batauis redimunt, vndiquaque abſcindunt, atque in formam oblongiorem perpoliunt, ita tamen vt ab vtraque parte circa medium nonnihil protuberet, & formam alui repræſentet, poſtea carinam faciunt planam, & in extremitatibus lignum illud vno fere modo exacuunt, vt non facile inter proram & puppim diſcernere poſſis, niſi quod prora ſeu anterior pars aliquanto ſoleat puppi eſſe depreſſior & inferior.

Protuberantias autem in extremitatibus relinquunt ab vtroque latere, veluti in triremibus plerunque conſpiciuntur pedem vnum longas, & quatuor digitos craſſas, quæ apprehendendis & commodius deportandis ſcaphis illis inſeruiant. Hoc modo paratum lignum, peculiari inſtrumento pulchre excauant, ita vt latera quidem vnius tantum digiti, fundus vero duorum craſſitiem obtineant, Tandem accenſo ſtramine, leuiter eas vndique adurunt, à vermium corroſione, & fiſſuris ab æſtu ſolis exiſtentibus, eas hoc modo vindicantes. Hoc autem dum faciunt, margini, ne ab igne contrahatur & incuruetur, columnas aliquot ſubſternere ſolent.

Scaphæ Fetiſſo conſeruandæ commendantur.

Cæterum perfectas ita & elaboratas, *Fetiſſo* conſecrare non ceſſant, Multos igitur *Fetiſſos* ipſis apponunt, variis frumenti ſpicis exornatos, vt à *Fetiſſo* ab omni incommodo & detrimento conſeruentur, qui frumentum etiam ſimul quo veſcatur habeat, ne ſcaphis hiſce cuſtodiendis inuigilans, fame forſitan & inedia pereat. Sic igitur ſcaphas ſuas non ſolum artificioſe parare poſſunt, ſed & ab omnibus inquinamentis conſeruare diligentiſſime ſolent, & quilibet etiam ſuam ab aliis diſcernere exacte novit, ita vt non facile alienam apprehendat, piſcatum quando exire, aut aliud quid in mari peragere conſtituit.

Cap. XXXIIII.

DE PISCATVRA EORVM, QVIBVS INSTRVMENTIS ET *quomodo ea fiat, quales item piſces & quibus temporibus capiantur, & quid tributi de captis piſcibus Regi perſoluatur.*

Quando à capiendis piſcibus ceſſent.

PRÆCIPVVM laborem & ſtudium capiendis piſcibus impendunt, cum ad piſcaturam ab ineunte ætate à parentibus ſuis aſſuefiant. Piſcantur autem ſingulis per ſeptimanam diebus, excepto die Martis, quem Sabbathi loco, ſanctum habere coguntur. Variis autem inſtrumentis vtuntur, & pro diuerſis

anni temporibus, varia etiam piscium genera capere solent, veluti paulo post dicetur.

Multum autem nocturno tempore piscatu inuigilant, accensas faces manu altera vt cernere possint, sibi præferentes, altera vero manu tridentem seu fuscinam tenentes, hac enim pisces lumini accelerantes cōfodiunt & aqua extractos reponunt. *Piscationes nocturnæ.*

Faces hasce ex ligno arido & leui præparant, fissum enim illud & oleo de palma probe perfusum, in fasciculos brachii alicuius crassitie, longitudine vero 6. fere pedum colligunt, qui accensi flammam lucidissimam gignunt. Alii, ignem in scaphis suis extruunt, quarum latera tribus vel quatuor sunt pertusa foraminibus, per quæ radii flammantis ignis in aquam proiecti, pisces alliciunt; qui advenientes fuscina postmodum confossi capiuntur. *Faces ad piscandum adhibentur.* *Ignis in scaphis extruitur.*

Sunt etiam, qui licet noctu capiendis piscibus operam dent, nullis tamen scaphis & nauiculis vtuntur, sed in littore sese continēt. Media autem nocte egressi, altera quidem manu ardentem facem, altera vero fiscellam scirpeam vel arundineam, quæ corbem repræsentat gallinarium, pullis, apud nostros, insterni solitum, arripiunt. Sic instructi aquam vmbilico tenus ingrediuntur, flumini contra nitentes, Cumque pisces lumini appropinquare vident, fiscellam eis statim insternunt, immissaque per orificium superius manu, eos apprehendunt, quos postmodo captos funiculo vel chorda per oculos traiiciunt & à collo suspendunt, donec quantum satis est piscium acceperint, Pisces vero tali ratione capti, forma ad Cyprinos & prasemos nostros quam proxime accedunt, & carnem bonam habent quæ salmonem fere resipit. *Pisces fiscella scirpea capiuntur.*

Quod si nocturnas hasce piscationes tempus anni non admittat, primo statim diluculo piscatum abeunt, bini semper scapham vnam ingressi, vnus nempe qui eam gubernet, & alter qui capiendis piscibus incumbat, satis autem longe à littore abscedunt, & arma sua pro diuersa ratione temporis varia secum ferunt. *Piscationes matutinæ.*

In Ianuario enim, Februario & Martio pisciculos minutos capiunt, qui magnos habent oculos, comprehensi vero saltando & fremendo magnum edunt strepitum & fragorem donec extinguantur. Pisces hi, quos ab oculorum magnitudine Ophthalmios vel oculatos cum Plinio dicere possis, forma & colore porculos nostros vel percas minores referunt, nec sapore etiam ab ipsis multum alieni deprehenduntur, Capiuntur vero funiculi beneficio, cui hami tres vel quatuor cadauere infecti adhærent, Eiusmodi enim funiculos ex arborum corticibus factos, ad Orgyas tres vel quatuor, cum profundius natare non soleant, aquæ immergunt, Cumque aggrauari eos & in profundum trahi sentiunt, extractos postmodum piscibus liberant. *Quales pisces capiant in Ianuario, Februario & Martio.*

In Aprili & Maio, aliud quoddam piscium genus boni saporis capiunt, Raiis non absimile, quod hac natura est, vt ex profundo interdum emergens, aquæ sese imponat, itaque etiam hamo adunco facile comprehensum attrahitur. *Aprilis & Maius.*

Mensibus Iunio & Augusto, pisces capiunt, ab Halecibus nostris non multum discrepantes, quos ipsi *Sardin* vocant, verum propter spinarum quibus admodum abundant, multitudinem, palato non arrident. Pisces alioqui in superficie aquæ sese continent, hacque natura sunt, vt cælo *Iunius Augustus.*

 sereno

ſereno & tranquillo ex aquis ſubinde exſiliant. Ratio vero eos capiendi hæc eſt, Funiculo ſatis longo, & in extremitate plumbo aliquo prægrauato, multos hamos annectunt, piſcium aduentum præſtolantes, qui cum ſalire in aqua cernuntur, ex humeris in eos funiculum iſtum emittunt, & hamis adhærentes attrahunt, donec accepta non exigua multitudine circa meridiem domum reuertantur.

Sed & Cancros & Aſtacos ſiue Cammaros hoc tempore quampluri- mos capiunt, eiuſdem fere generis cum illis quos Norwegia habet in ſcopulis latitantes. Cibi ſunt ſatis boni, ſed qui tamen pro incremento & decremento Lunæ ſubinde varietur.

September. Menſe ſeptembri varia ſeſe ipſis piſcium genera offerunt. Quidam enim ſcombris, vel etiam Alocis ſimiles ſunt, ſed capite quidem longiori, corpore vero tenuiori, Cutem habentes glabram & ſquamis plane carentem. Quidam reperiuntur geminato quaſi ore, quibus decoctis os ſuperius remouetur, & ſapore Cyprinum noſtratem referunt. Quidam Mullos referunt, barbati enim ſunt, & criſtam inſtar ſerræ in tergo eminentem habent. Cauendum autem eſt, ne inter capiendum ſpinis iſtis lędaris, tam enim venenatæ ſunt, vt non ſolum intumeſcere læſam aliquam partem faciant, ſed incredibilem etiam dolorem excitent, & periculum membri iſtius vulnerati reſecandi afferant. Non ſunt autem ſaporis tam iucundi, vt ſuperiores, capiuntur vero peculiari inſtrumento, & tali propemodum modo quo in Hollandia Aſellos capiunt, Rati enim ligneæ cornu aliquod alligatur, in cuius medio piſtillum eſt, vt crotalũ aliquod quale vaccis noſtris appendi conſueuit, referat. Ratem hanc mari committunt cuius fluctibus impulſum cornu, ſonum aliquem præbet, inſtar nolæ vel tintinnabuli, quo inuitati piſces, dum apprehendere ratem cupiunt, hamis interim occultatis adhæreſcentes capiuntur.

October. November. Menſibus Octobri & Nouembri, retia plerunque vſurpant, quæ ex arborũ corticibus facta, 20. fere Orgyas longa ſunt. Hæc enim veſperi adverſo maris flumini immergunt, ingenti in extremitatibus ſaxo aggrauata, locum vero ligno oblongo ſignant, quod funiculo retibus alligatum in ſuperficie maris natans, indicio eſt piſcatoribus, vbi retia ſua reuerſi inuenire debeant. Per noctem enim integram in mari ea relinquunt, vbi ingens piſcium copia illis interim implicatur, quam ſequenti poſtmodum die, eleuatis ex mari retibus, colligunt, Cumque retia ſoli expoſuerunt, coniuncta poſtmodum manu, in mare, piſces alios cum rate lignea captum proficiſcuntur.

Piſces vero quos retibus capiunt Luciis noſtris adſimilantur, dentes habentes acutiſſimos, quibus multum damni dare ſolent, omnibus aliis piſcibus formidabiles, vnde etiam Hollandis propter ſimilitudinem Lucii vocantur. Sed & aliud quoddam piſcium genus retibus capiunt, Salmonibus non abſimile, quod carnem habet albicantem & boni ſaporis. Quin & Galeos ſtellatos reti capiunt, & Hinnulos ſiue Galeos crucife- ros, ſic dictos quod amplis capitibus ſint, & os latum habeant inſtar batilli vel teſti, quo placentulas parare noſtri ſolent, corpus vero quaſi cruce inſignitum apparet, & ab humanis prorſus abſtinent corporibus. Arefactos per totam regionem tranſportãt. At maiores illos qui robore ſuo duas & tres interdum ſuperare ſcaphas poſſunt, ſtatim diſſectos inter ciuitatis vbi capiuntur incolas diſtribuunt atque diuendunt.

In

In Decembri, quemadmodum etiam in Iulio, piſces capiunt quos *Korcofado* vocant, latitudinem habent longitudini æqualem, & caudam inſtar lunæ dimidiatæ, ſqammas habent exiguas, ſpinas vero pauciſſimas, carnis ſunt antequam coquantur albicantis, quæ tamen elixa ad rubedinem paulũlum, velut Accipenſer, inclinat. Capiuntur hamis aduncis, ad funem alligatis, idque tali ratione: Hamo particulam calami indici ſiue arundinis ſacchariferi præfigunt, funemque capitibus ſuis alligant vt ad 7. vel 8. Orgyas in mare propendeat, cum igitur piſces arundinẽ attingunt calami dulcedine inuitati, quo cibo admodum delectantur, ſentiunt illud in capite, & ſtatim protractum ex mari piſcem hamo liberant, capientes hoc modo 20. ſæpe & 30. per diem dimidium, Longe autem lateque à paganis diſtrahuntur, quemadmodum etiam cochleæ ſeu conchæ marinæ, quarum inter ſcopulos magna ſeſe ipſis interdum offerre ſolet copia, ſuntque ſaporis æque boni atque noſtræ. *December & Iulius.*

Cæterum peracta piſcatura ex mari redeuntes, publicano regio tributum perſoluere coguntur, partem nimirum aliquam piſcium, qui ad Regem ſtatim deferuntur vſui quippe quotidiano inſeruientes. Sed & piſcationes exercent alias, in ſtagnis nimirum & lacubus, retia adhibentes noſtris non multum diſſimilia, ſed illa non contrahunt, verum in fundo traducentes cum piſcium aliquid ceperint, comprehenſum manibus, in ſportulas quas à corporibus dependentes habent, coniiciunt, Alii retia adhibent tantæ altitudinis, vt aquæ profunditatem adæquent. Ea explicata & baculis erecta, per ſtagnum traducunt, quicquid comprehendere poſſunt ſecum in aridam trahentes. Cum autem nullibi exitus ipſis pateat propter altitudinem retium, fit interdum vt magnam copiam comprehendant, & de eis tributum Regi non perſoluunt, cum porculis noſtris minores ſint, & ſaporis non admodum boni. *Tributum de piſcibus.* *Piſcationes in ſtagnis.*

Fila vnde retia hæc fiant, viri ipſi ducunt, reuerſi enim à piſcatura, poſt meridiem in ripa ſtagni conſident, trahentes fila, & retia ſua componentes. Non diu autem piſces ibi à corruptione & putrefactione conſeruari poſſunt, cum regio ſit calidiſſima, itaq; neceſſe eſt vt recentes quamprimum ex aqua proferuntur, coquantur & comedantur. *Retia.*

CAP. XXXV.

DE FORMA SAPORE ET QVALITATE PISCIVM qui in regionibus iſtis capiuntur.

PRÆSTANTISSIMVS omnium qui in mari capiuntur piſcis *Dorado* eſt, itaque etiam hoc nominis apud Luſitanos inuenit, Dicitur enim *Dorado* ab auro, quaſi piſcis aureus, vel cum auro conferendus, propterea, quod mare hoc meliores non gignat aut producat, quamuis hæc etiam nominis huius ratio videri poſſit, quod in aquis fuluus & aureus appareat, auri nimirum inſtar reſplendens. Sapore Salmonem referunt & Anglis quidem, Delphines, Batauis vero piſces aurei dicuntur. Celeres admodum ſunt in natando, ita vt piſcium velociſſimi habeantur. Nauibus gaudent & facile capiuntur cum fames eos premit. Pedum plerunque 4. vel 5. longi ſunt, & Criſtas habent ſiue pinnas in tergo à capite ad caudam vſque pertingentes. Cæterum cute glabra ſunt & nullis ſquammis rigente, ſpinam vero vnicam *Dorado piſcis aureus.*

cam ſaltem habent,quæ per totum corpus ſeſe extendit.Si quando fame vrgeantur & piſces volantes nullos comprehendere poſſunt, vnus aduerſus alterum inſurgit, & ſeſe inuicem deuorant,quod Batauis aliquoties viſum & animaduerſum. Sereno cælo cateruatim aquis innatantes cernuntur, & pro diuerſis anni temporibus, diuerſis etiam in locis ſeſe continent.Iecur ipſorum arefactum & in puluerem redactum,dyſenteriæ medetur,ſi modico vini permiſtum aſſumatur.

Bonites. Secundum à *Dorado* locum *Bonites*, obtinent, ſaporis boni, ſed cum *Dorado* tamen non conferendi.Capiuntur plerunque in locis à fluctuum vehementia periculoſis.Breues ſunt & craſſi,acuminato capite & ſpinarum paucarum plurium tamen quam in *Dorado* reperiuntur. Piſces volantes ingenti odio,vt ſuperiores etiam, proſequuntur,Delectantur nauibus, quas curſus celeritate vel ſuperare poſſunt. Capiuntur adunco hamo, faſciis cādidis involuto & funi alligato, Cum enim linteum iſtud candidum in aquis vident,piſcem eſſe volantem exiſtimantes, ad illud ſummo impetu feruntur,ſed apprehenſo ferro adhæreſcunt, & ex aqua capti protrahuntur.Cutem habent glabram,coloris cinerei vel cæſei,& capiuntur tempeſtate mala atque procelloſa commodius quam bona.

Albocores. His fere ſimiles ſunt *Albocores*, Cute glabra & candida, ſquammis carentes,pinnas vero habentes fului coloris,quas ſub aquis cernere eſt elegantiſſime.Superant *Bonites* magnitudine,inueniuntur enim quidam longitudine quinque pedum,qui virum latitudine adæquant, ſucci ſunt exigui,& non boni admodum ſaporis, cutem habent mollem , & ſpina conſtant vnica per vniuerſum corpus protenſa.

Teſtudines. Teſtudinum duo reperiuntur genera,quædam enim in terra tantum, quædam vero in terra & in aquis ſimul viuere poſſunt , Reperiuntur magna copia circa promontorium viride,animalia ſunt pigra & ſomnolenta, quæ dormientes plerunque aquis innatare videntur,Cū calorem ſolis penetrare per teſtam alteram ſentiunt,ſtatim ſeſe invertunt,modo ſuperiorem modo inferiorem corporis ſui teſtam ſoli obiicientes,vt feruorem ita nimium à ſe avertant. Cum igitur dormientes ita à maris fluctibus propelluntur,comprehenſu ſunt facilimi, hamo enim lateribus ipſorum ſub teſtam iniecto ex aqua protrahuntur. Animadvertentes autem inſidias, ſtatim ſub aquas ſeſe occultant,quamuis non diu ſub aquis ſe continere poſſint. Carnem habent delicatam & ſapore ad vitulinam noſtram quam proxime accedentem.

Galeus ſiue Hinnulus,Tubaron. Galeus ſiue Hinnulus, Luſitanis *Tubaron*, Gallis vero *Requiens* dictus, apparet plerunque cælo ſereno & quieto.Feruntur autem ſtipati & cincti quaſi magna minutorum piſciculorum multitudine,qui *Quaquadores* dicti, os habent & caput latum,quo corporibus hinnulorum adhæreſcere poſſunt. Ad percas alioqui proxime accedunt, Cumque cibum nactus eſt hinnulus,ipſi ſtatim adſunt,& eodem veſcuntur cibo , quos etiam ipſe, nihil repugnans ,facile admittit.Cæterum Galeus hic *Tubaron*, carnem habet craſſam & minus delicatam, pigri ſunt in natando,& criſtas in capite admodum eleuatas gerunt. Os habent ad colli fere medium inclinatum , quod comedere volentes magno labore eleuare coguntur.Capite ſunt lato & plano, viribus vero pollent maximis,quas etiam cauda ſua optime exercent.Dentes habent acutiſsimos,& inſtar ſerræ alicuius dentatos,vnde natantibus interdum in mari hominibus brachium vel pedem tanta celeritate abſcindunt, ac ſi ſecurim quis adhibuiſ-

buiſſet. Famelici admodum ſunt, & cibi auidiſſimi, ita vt quicquid apprehendunt in aluum ſtatim traiiciant, nihil attendentes, an ſtomacho ſuo conueniat nec ne, vnde vel hamos ferreos & ſecures in ventriculis ipſorum ſæpe repertos Batavi affirmare non dubitant.

Turſiones vel phocænas Luſitani *Tamnos*, Galli vero *Marſovin* vocant, ſuntque duorum generum, quidam roſtrum habent inſtar ſuis acuminatum, vnde etiam interdum Delphines vel porci marini nominantur. Alii os latum & planum habent inſtar Lamiarum, quo nomine etiam ab Hollandis vocantur, cumque quaſi cucullati appareant, vocantur propterea etiam Monachi Marini. Longitudinem plerunque habent 5. vel 6. pedum, & caudam diſcriminatam. Cum diſſecantur adipem præbent & lardum carnemque ſuibus noſtris ſimilem, Omnia enim inteſtina habẽt cum porcis communia, & eodem cum ipſis etiam cibo veſcuntur. Cateruatim ſemper incedunt grunnientes inſtar ſuum, quod quidem certarum tempeſtatum ſignum & indicium haberi ſolet. *Turſiones porci marini.*

Sed & Lamiæ cateruatim in mari natare videntur inſtar Turſionum vel porcorum, à quibus tamen celeritate nonnihil ſuperãtur. Paulo ſunt minores Balęnis, ſed branchias vel foramina in capite, quibus aquam expuant atque tranſmittant, nulla habent. *Lamiæ.*

Cap. XXXVI.

De omnis generis sylvestribus et domesticis animalibus, quæ in his regionibus inveniuntur, quomodo nimirum qualibusque inſtrumentis capiantur.

FERARVM & aliorum animalium, tam bonorum quam nocentium, defectum nullum habent, nam à Luſitanis ſi quod adhuc deeſſet, ſtatim eo tranſportaretur. Et quidem quod ad feras attinet, inter illas quidem Elephantes primum & præcipuum obtinent locum, nam & vaſtiſſimæ & fortiſſimæ ſunt omnium ferarum, quæ tantum ſufferre & perficere laborem poſſunt, quanto nulla alia ſufficiunt animalia, ſed & libenter omnia perficiunt, & tanta cum voluptate, vt etiam oneri potius ſuccumbant, quam ſocium aliquem admittant, maxime ſi bene habeantur, & in cibo potuque defectum nullum ſentiant. *Elephantes.*

De virtutibus eorum alii multa annotarunt, quæ hic repetere neceſſarium non eſt, Vita ipſorum ad 150. annos extendi poteſt, niſi vis aliqua ipſis inferatur, Quo plus autem annorum aſſequuntur, eo colorem & pilos accipiunt elegantiores, inprimis vero caudas habent admodum præſtantes, quæ etiam in magno ab Indianis habentur pretio. Diligenter autem ipſis inſidiantur, quamprimum intelligunt vbi locorum ſeſe contineant, cum illis non ad laborem ſolum vtantur, ſed etiam carnibus eorum veſci paſſim ſoleant.

Capiuntur vero tali modo, principio locũ obſeruant, quo ſeſe cõferre frequenter ſoleant, ibi n. foueam ſatis profundã faciũt, orificio eius ſtramine & foliis arborũ operto, Huius igitur doli ignarus Elephas accedẽs, in eam incidit, quo facto adſunt ſtatim Nigritæ iaculis & miſſilibus cum haſtis in fovea captum conficientes, Cumq; eo interfecto deſcenderunt, mẽbratim eum in partes diuidunt, de quibus cuilibet liberũ eſt accipere quantũ voluerit. Pellẽ ſellis & ſedilibus inſternunt, caudã vero Regi tanquã inſigne aliquod munus offerunt, qui eo ad muſcas abigẽdum vtitur. *Ratio capiendi Elephantes.*

Pardales & Tigres.

Postea Pardales etiam habent & Tigres, illas quidem nostris per omnia similes, has vero alterius à nostris naturæ. Ita enim comparatæ sunt, vt discernere inter homines albos & nigros possint, nã ab albis hominibus in vniuersum abstinẽt, cum tamen nigritas sæpenumero interficiant & deuorent. Feroces autem admodum sunt & crudeles, ipsis etiam leonibus sæuiores, pellem habent multis puncturis variegatam & interstinctam, quæ propterea etiam magni æstimatur. Cum fame vrgentur & nullum offendere in agro animal possunt quod vorent, ædificia hominum ingrediuntur, comprehensumque animal quodcunque, secum abducunt, idque sine omni metu & timore, spectantibus etiam hominibus, quos ipsos etiam iugulare & deuorare interdum solent.

Quomodo capiantur.

Difficulter admodum capiuntur, etiamsi enim iaculis veneno infectis petantur, nisi tamen comprehensæ constringantur neglecto vulnere fugam arripiunt, quamuis postea inter currendum, veneno scilicet ex motu isto magis accenso & excitato, deficiant, & in agris exanimes reperiantur. Itaque talem eas capiendi dolum Nigritæ excogitarunt. Diligenter obseruatum locum vbi sese plerunq; continere solent, multis palis & stipitibus muniunt, facientes in eo decipulam seu caueam quasi, ligneis interseptam longuriis, muscipulæ qua mures apud nos capiuntur, non absimilem, Ingressæ igitur bestiæ allatum cadauer, quod ibi occultatum vident, irretiuntur, & iaculis postmodum conficiuntur.

Simiæ & Cercopitheci.

Simiis & Cercopithecis tota abundans est regio, suntque variorum generum, Quidam enim barbam habent albicantem, reliquum vero corpus maculosum, multis punctis variegatum & distinctum, & in ventre quidem pilis niueis in tergo vero spadiceis conspiciuntur, pedibus nigris, & nigra cauda, Batauis simii barbati vocantur.

Alii vero etiam reperiuntur, quibus à naribus albis Bataui nomen dederunt, quod nihil albi in vniuerso ipsorum corpore exceptis naribus, cernatur, feri admodum sunt & indomiti, odoreque suo pessimo nares hominum grauiter afficiunt. Quidam etiam *Iaccis* illis similes inueniuntur, quibus littus graniferum abundat. Omnes autem ad duo referri possunt genera. Quidam enim feroces admodum sunt & hominibus infesti, & hi admodum sunt fœcundi, reperiunturque aliquibus in locis tanta copia, vt incolæ arma aduersus eos capere cogantur. Quidam vero hominibus fauent, libenter cum eis conuersantur, & conuictu eorum delectantur vnice.

Simiorum duo genera.

Omnes autem in genere admodum ingeniosi sunt & callidi, ita vt, quod semel tantum viderunt, imitari statim conentur, pullos suos admodum diligunt, nunquam otiosi conspiciuntur, & membris omnibus ad humanam accedunt formam, vt ipsis præter sermonem & loquelam vix aliquid deesse videatur, vnde etiam Nigritæ maledictos eos homines esse asserunt, qui loqui quidem si vellent, possent. Capiuntur plerunque funiculis ab arboribus suspensis.

Lepores vulpeculæ & cerui.

Leporum, vulpecularum & ceruorum, non exiguus ibi reperitur numerus, sed alibi tamen maior, alibi minor, nihil autem à nostris differunt, nec rationem Nigritæ peculiarem eos comprehendendi habent, cum enim forte potum ad flumina veniunt, adsunt statim Æthiopes iaculis eos petentes, vt decidant & moriantur.

Serpentes.

Serpentes quos regio ista alit, nostris non absimiles sunt, si magnitudinem

dinem vel amplitudinem eorum excipias. Quidam enim palmorum 20. longi, & 5. lati deprehenduntur. Et hæc quidē magnitudo eorū vulgaris est, occurrunt enim interdum etiam maiores, sed rarius tamen. Nuper quidem captus est aliquis longitudine 30. pedum, cui portando viri 6. sufficere vix poterant.

Fauces habent admodum capaces, ita vt integras deglutire gallinas & anseres possint. In terra æque ac in aquis viuere possunt, ventre cibis repleto, prosternuntur in terram; somno indulgentes, more ebriorum hominum, sicque oppressi, facile interficiuntur. Nigritæ enim eis libentissime vescuntur, carnes eorum vel gallinarum carnibus præferentes.

Sed & aliud quoddam serpentum genus ibi reperiri dicunt, quos Dracones vocant, alis & cauda rostroque bene longo & dentibus acutissimis, quibus pecudes & carnes crudas quascunque conficere facile possunt, formidabiles. Colore sunt cæruleo & viridi, & ab Æthiopibus pro *Fetisso* habentur. Odio Elephantes persequuntur maximo, quos etiam calliditate sua interimere possunt. Vlnarum sunt in his regionibus plerunque decem, quamuis alibi inventi sint Dracones 100. pedum longi; qui volando eo vsque ascendere & attollere sese potuerunt, vt vel aues in aëre volantes comprehendere potuerint *Dracones alati.*

Sed & Crocodilus ibi reperitur, animal perniciosissimum, quod tam in aquis quam in terra viuere potest. Accepta enim præda statim ad aquam properat, vt eam ibi abscondat. Non solum autem pecora sed & homines abripere & deuorare audet. Ortum Crocodili ex ouo habent, quod magnitudine sua ouum anserinum non superat; crescunt autem in tantam magnitudinem, vt pedes interdum 20. longitudine sua excedant. Pecora vero abrepta in aquis non deuorant sed abscondunt solum, & cum iis vesci volunt, ex aquis retrahunt. Magna sunt pedum pernicitate, & cute tam dura, vt nulla eam hasta penetrare possis, sed in ventre tamen molles sunt, & facile vulnerari possunt, itaque dexteritate & prudentia opus est, vt capti interficiantur. *Crocodilus.*

Lacertis & Chamæleonibus regio ista etiam non caret. Et referunt inter alia Bataui, in sylua ipsis lacertam aliquando tantæ magnitudinis occurrisse, vt crassitie virum æquarit in longitudine vero 6. pedes habuerit, squamis albis opertam, ita vt instar cochleæ vel ostreæ alicuius enituerit, quæ cum ad quadrantem horæ consistens Hollandos probe intuita esset, tandem in syluam rursus aufugerit cum tanto strepitu, quasi ingens ceruus arbusta perrupisset. *Lacerta.*

Chamæleones, lacertis non absimiles sunt, sed colorem tamen alium, ad malum nempe aureum fere accedentem præ se ferunt, cum autem hominem aliquem intuentur, vulgarem suum colorem mutant, exiguo vtuntur cibo, ita vt etiam vento vel aëre pasci atq; victitare dicantur. Nigritæ inter venenata animalia hæc duo non numerant, arefacta enim magna copia distrahunt & in cibum assumunt. *Chamæleones.*

Porro multis etiam Moschi vel Zibethiferis Catis abundant, quos Lusitani *Kato Dagalia*, Æthiopes vero *Kankan* vocant; Hæc animalia etiam in aliis Indiæ Orientalis locis & in *Iava* reperiuntur, sed nullibi eius sunt præstantiæ, vt cum illis quæ in *Guinea* vivunt, conferri possint, vbi vocantur *Castory*. Nutriuntur autem multa copia à Lusitanis qui non exiguum ab ipsis commodum percipiunt, ex *Agaly* nempe *Feles vel cati Moschiferi.*

vel

vel moſcho, quem egregie purgatum, & vitris probe obligatis incluſum, Lyſabonam tranſmittunt, magnoque precio divendunt. Sed non facile educantur & nutriuntur, præterquam enim quod ad mordendum ſemper propenſi ſint, meris etiam tantum carnibus veſcuntur, Gallinas nimirum, columbas, & alias delicatiores carnes expetentes, cibumque plane reſpuentes alium. Forma ad vulpeculas proxime accedunt, excepta cauda, quæ feles vel catos eos eſſe demonſtrat, per vniuerſum corpus punctis pardalis inſtar interſtincti ſunt. Capiuntur potiſſimum ab Æthiopibus in ſyluis, cum adhuc ætate florent. Virilis ſexus præfertur fœminino, & quo ferociores & intractabiliores ſunt, eo moſchum proferunt præſtantiorem.

Leporum venatio. Multi præterea lepores, vt alibi paſſim, ſic potiſſimum in *Ackra* reperiuntur. Cum autem eos capere volunt, cateruatim ad locum eum ſeſe conferunt, vbi lepores congregatos norunt: accipientes ſinguli duos vel tres denigratos baculos, brachii longitudinem obtinentes. Porro circumdato vndique & cincto loco vbi lepores latitant, ingentem ſtrepitum, baculorum percuſſione excitant, quo perterrefacti lepores proſiliunt, exitum quærentes, ſed baculis Nigritarum percuſſi occumbunt, atque ita magna ſæpe copia capiuntur.

Venationes omnibus liberæ ſunt & permiſſæ. Sed & multæ feræ aliæ ibi reperiūtur, tam inuſitatæ & peregrinæ formæ, vt cum nulla nobis nota fera conferri poſſint, cum præſertim incolis etiam ipſis natura ipſarum ſit incognita, Batavi vero terræ confidere, & à nauibus procul abſcedere, vt feras perſcrutentur non audeant, ne à Luſitanis comprehenſi in ſeruitutem redigantur.

Canes. Iam quod ad domeſtica animalia attinet, Canibus felibusque abundant plurimis, Et canes quidem latrare non poſſunt, nec mordendo noſtris ſimiles, ſed plane muti exiſtunt, varii coloris ſunt, nimirum albi, nigri, ſpadicei, fului, flaui &c. Aſſumuntur autem in cibum, vnde in locis aliquibus, magna copia, velut oues vel ſues, in forum aguntur atque venduntur. Nam & *Ekia* ab ipſis, & *Cabra de Matto*, quod idem ſonat ac oues vel capras ſylueſtres, eandem ob cauſam vocantur, ſuntque primum munus quod ad nobilitatem aſpirantes Regi offerre coguntur. Cæterum noſtri canes in magno apud ipſos habentur precio, propterea quod latrare poſſunt, audito enim canum latratu, loqui eos Nigritæ exiſtimant.

Feles. Sed & feles in magno ſunt apud ipſos precio, cum mures capiant, qui Nigritis in ciuitatibus paſſim habitantibus multum moleſti eſſe ſolent. Vocantur ab ipſis *Ambaio*, ſuntque pelle pulchra & tenera, Aſſumuntur vero etiam in cibum quemadmodum de canibus antea dictum eſt.

Boues & vaccæ eius loci, mediocris ſunt magnitudinis, Non mulgentur ab hominibus, vix enim tantum lactis habent, quantum nutriendis vitulis ſufficiens eſt, quos etiam ægre ſuſtentare & educare poſſunt propter pabuli ſiccitatem & inopiam æſtusque vim maximam.

Gallinæ. Gallinas & capras, quæ ſimul etiam oues & verueces eorum ſunt, à Luſitanis ex Inſula *S. Thomæ* acceperunt. Et Gallinas quidem facile ipſis eſt ſuſtentare cum frumento abundent optimo, quo ſaginatæ vel Caponibus noſtris non cedunt, quamuis quoad magnitudinem, iis paulo inferiores exiſtant. Oua quæ pariunt, magnitudinem ouorum columbinorum vix aſſequuntur.

Columbas

Columbas similiter à Lusitanis acceperunt, vnde etiam *Abronama*, quod aues à candidis hominibus eo delatas significat, vocantur. Columbis nostris fere similes sunt, nisi quod capita habeant aliquantulum minora, nondum vero maiori ibi cernuntur copia. *Columba.*

Sed & sues à Lusitanis acceperunt, vocant vero eas *Ebbio*, suntq; exiguæ magnitudinis, & carnis suauissimæ. *Sues.*

Anseres quos nuper ab Hollandis acceperunt *Apatta* vocant, & propter raritatem in magno habentur precio. *Anseres.*

Cap. XXXVII.

DE AVIBVS ET INSECTIS OMNIS GENERIS, QVAE in regionibus illis inveniuntur.

AVIVM quæ ibi reperiuntur genera varia sunt, pauca tamen nostris similia. Primo quidem Psittaci cærulei coloris, magna frequentia per arua passim volitantes cernuntur. Horum pullis incolæ admodum insidiantur, ex nidis eos eruentes, idque propterea quod rectius & melius ad garriendum assuefiant si à primo quod dicitur ouo in ædibus foueantur, & cum syluestribus passim volitare non permittantur, Atqui non tamen eius sunt præstantiæ, nec garrire etiam tam commode vt Brefiliani illi virides, discunt. *Psittaci cærulei coloris.*

Deinde viride quoddam auium genus occurrit, sturnis nostris non multum dissimile, quod ipsi *Aburont*, Bataui vero *Paroquiten* vocant. Has aues laqueis & retibus capiunt, eodem fere modo, quo Fringillæ nostris capiuntur. Valles amant & campestria plana milio consita, eo enim libenter vescuntur. Amice inuicem viuunt, & concordiam vnice colunt, si enim par aliquod auiario includatur, turturum fere naturam imitari videntur. Aspectu admodum delectabiles existunt, per vniuersum nempe corpus virides, caput vero habentes colore mali aurei insignitum & condecoratum. *Aues virides.*

Eiusdem autem generis adhuc aliæ reperiuntur, rubri & sanguinei coloris, nigro in capite puncto, & atra cauda insignes, paulo tamen superioribus maiores. *Aves sanguinei coloris.*

Sed & alię reperiuntur aues, Emberizis flauis vel Fringillis quas vocant aureis non dissimiles, coloris nimirum aurei vel crocei. Hæ autem in agris non morantur, propter serpentum & aliorum venenatorum animalium insidias, sed nidos suos à tenuissimis arborum ramusculis quam artificiosissime suspendunt, vbi ab insidiis omnibus tutas se esse norunt. *Aves aurei coloris.*

Habent adhuc minutas alias, quas carduelibus nostris assimilare licet, eas Nigritæ viuas ori inserere, & vna cum plumis atque intestinis deuorare solent. *Aves carduelibus similes.*

Habetur porro genus aliud Aquilis non dissimile, nisi quod capite ad Galli decumani, quem Gallopauum Gesnerus vocat, speciem, magis accedat. Volucres sunt fastu & iracundia tumentes, Nigritisque admodum perniciosæ, multum enim ipsis damni inferunt, qui sibi admodum ab eis metuentes frumentum subinde & aquam ad montana deferunt, vt escam reperientes ab iniuriis abstineant, ipsique ita placatas *Volucres perniciosa.*

quaſi, mitiores eas experiantur. Vocant eas *Paſtro de Diago*, quod idem ſonat, ac volucres à Deo miſſas, & ſummo ſtudio cauent, ne damnum aliquod ipſis inferant, aut vllo modo eas offendant, cum illud inultum habere eas non poſſe certo ſciant. Delectantur ſordibus, & plerunque in ſterquiliniis locisque aggeſto fimo fœtidis atque obſcænis verſantur, vnde etiam adeo fœtent, vt nares hominum offendere vel è longinquo ſoleant.

Ficedula. Gallinago. Turtur. Reperiuntur etiam ibi Ficedulæ & Gallinagines, auiculæ nempe ad ſtagnorum ripas & crepidines frequenter verſantes, ſed minori copia. Turtures vero circulo nigro circa collum obducto quaſi torquati cernuntur, ſed phaſiani & perdices à noſtratibus parum diſtant.

Phaſianus. Perdix. Pauo. Taurus. Pauones ſimiliter à noſtris non differunt. Ardea ſtellaris ſiue Taurus, inſerto terrę roſtro mugitum frequenter edit, vnde etiam pro *Fetiſſo* ipſis habetur, vt ſupra quoque annotatum eſt.

Ardea. Grus. Gauia. Ciconia. Sed nec Ardeis vulgaribus, nec Gruibus, nec Gauiis, carent, habent etiam genus quoddam auium Ciconiis noſtris non abſimile, nec vero neceſſarium eſſe puto, auium hic prolixiorẽ inſtituere catalogum, Cum illis ita abundent, vt tota fere regio auibus oppleta videatur, nemine fere exiſtente qui eas capiat, cum inſtrumentis ad aucupia neceſſariis deſtituantur.

Noctua. Veſpertiliones Locuſtæ. Ranæ. Iam quod ad Noctuas, Vlulas, Veſpertiliones &c. quemadmodum etiam ad inſecta, locuſtas, ranas & alia attinet, paſſim illis abundant, ita vt de eorum defectu conqueri nemo poſſit.

Cancri terreſtres. Sed & Cancri terreſtres ibi inveniuntur. Batavi autem aliquando noctu in agro ſplendidum aliquid & lucens inuenerũt animalculum, comprehenſum igitur & ſtrophio involutum, Cicindelam eſſe putantes, Nigritis obtulerunt, ſed nihil certi de eo cognoſcere potuerunt, donec facta iterum luce, viderent vermiculum eſſe nigerrimum muſcis quas hiſpanicas vocant, non abſimilem, excepto colore quo erat plane piceo.

Muſca lucentes. Apes. Formica. De Apibus ad arbores mellificantibus, itemq; de nigris formicis ſub terra habitantibus, & inſectis aliis plura hic dicere neceſſe non eſt.

Cap. XXXVIII.

DE HERBIS ET FRVCTIBVS IBI NASCENTIBVS, ITEMque de vino Palmarum, quomodo nimirum creſcant, cuiuſque virtutis ſint & efficaciæ.

Calamus Indicus Saccharites. ALAMVS Indicus Saccharites, altitudinem 7. vel 8. pedum creſcendo aſſequitur, medulla optimi ſaporis, quã vulgo mel arundinis vocant, repletus, multa habet internodia, ſeu articulos, folia vero longitudinem duorum cubitorum, ſed latitudinem calamo hiſpanico minorem obtinent, colore ab arundine vel calamo vulgari nihil differt, flores late diſpergit, Radicem calamo hiſpanico ſimilem habet, ſed aliquãto tamen ſuauiorem, ſtolones ſiue ſurculos interdum ex radice emittit, qui poſtmodũ abſciſſi tranſplantãtur.

Terram requirit calidam & humidam, quæ cauſa eſt quod in Hollandia plantatus non creſcat. Cum maturitatem aſſecutus eſt, eodem modo quo frumentum abſcinditur, ſed plus temporis antequam matureſcat requirit, duas enim æſtates creſcendo conſumit, donec iuſtam altitudinem attingat, Cumque abſciſſus eſt, multum adhuc laboris requirit, vt cibo conueniens & aptus reddatur.

De

De tritico turcico quod ipsis *Mays* vocatur, supra dictum est. Oryza in culmis crescit nonnihil inflexis & incuruatis, firmis tamen & rigidis, Spicas habet acutissimis aristis formidabiles, grana vero ipsa glumis inhærent siue folliculis cerei coloris, Culmus longitudinem habet vnius pedis cum dimidio, assimilatur vero stipulis hordei, sed radix ad triticum magis accedit. Originem traxit ex India, & per vniuersum fere terrarum orbem distractum atque disseminatum est, ita vt vix vllus reperiatur hodie locus Oryza vacuus. Multum requirit caloris, & messis eius sera admodum est, in septembrem nimirum incidens. Hoc vero mirum est, quod grana tam dura & spissa, humido delectentur agro, & quod terra humida & vliginosa frumentum procreare tam præstantis saporis & alimenti tamque siccum possit. *Oryza.*

Zingiber in multis & variis locis crescit, speciem quandam tenuioris arundinis, qualis in nostris regionibus passim reperitur, præ se ferens, Ad spithamas duas vel tres à terra assurgit, radix vero Zingiber ipsum est, Eam enim mensibus Decembri & Ianuario, terra erutam, arefaciunt, sed luto prius diligenter circumdatam, ne quid virium per exhalationem & humoris extractionem forte amittat, experientia scilicet edocti, quo diligentius rimulæ & foramina obturentur, eo præstantius & generosius Zingiber euadere. *Zingiber.*

Sed & alia ratione Zingiber crescit, nimirum velut gladiolus, vel etiam velut lenticula palustris, caulem habens duos vel tres palmos altum. Verum radicem hanc dum adhuc viridis est, in partes aliquot dissectam & herbis permixtam, aliis, affuso aceto saleq; & oleo in acetarium præparant comeduntque. *Acetarium ex Zingibere viridi.*

Crescit vero Zingiber omnib⁹ in locis calidis si trāsplantetur, & terræ inseratur, nam quod sua sponte à nemine transplantatū crescit, efficaciam & virtutem habet exiguam. Quamuis interim negari non possit virtutem hanc pro diuersa locorum qualitate & natura mutari, ita vt non eiusdem vbique præstantiæ reperiatur. Optimum igitur & præstantissimum ex *Bresilia* & *S. Domingo* affertur, quod vero Insula *S. Thomæ* & promontorium viride suppeditant, paulo minoris efficaciæ existit.

Frumentū illud quod Batauis *Grain*, Æthiopibus vero *Manigette* vocatur, potissimum in Africa reperitur, & quidem in peculiari quodam loco qui nomē etiā suum inde obtinuit, Crescit autē in agris, ad modum oryzæ, seminatur etiam quemadmodū frumentum verum, sed ad tantā altitudinem non assurgit. Folia habet stricta & tenuia, quibus frumentū illud instar auellanarum nucum adnascitur, Aristas habet cum tritico siue *Mays* conuenientes, colore rubicundo. Cæterum putamina habet, quibus apertis grana demum inveniuntur, cuti tenellulæ involuta, & peculiaribus quasi loculis ad modum granorum in malo punico, ab invicem distincta. *Grain, Manigette.*

Ficus Indicæ, per totam fere Indiam inveniuntur, suntque fructus præstantissimus & omnium qui in India reperiuntur, post *Cocquos* vtilissimus frequentissimusque. Non vno autem & eodem vbique vocantur nomine. Nam in *Guinea* dicuntur *Banana*, Bresiliani vocant eas *Pacona*, & arborem ipsam *Paguover*. In *Malavaria* autem *Patan* nominantur. *Ficus Indica.*

Arbor ramorum expers plane est, fructus vero ex ipsa prorumpi stipite cernuntur, folia habet longitudinem vnius orgyæ, latitudinem ve-

ro trium palmorum fere excedentia, quibus Turcæ quidem pro papyro vtuntur, Alii vero parandis ædificiorum suorum tectis ea adhibent.

Ficus arbor.

Frutex potius est quam arbor vera, nullum enim lignum habet, sed si confringatur speciem refert in fasciculum conuolutorum foliorum. Ad viri alicuius altitudinem à terra assurgit, qua assecuta folia protrudere incipit, quorum natura hæc est quod vetera & arefacta subinde erumpentibus nouis decidant, semper enim alterum alteri cedit donec fructus maturitatem suam assequantur. Neruum folia habent in medio transeuntem, satis crassum, quo in duas æquales dirimuntur partes, Inter ipsa autem folia, flos erumpit, magnitudine oui Struthionei, qui malum persicum colore referens, progressu temporis late sese extendit, vt ad modum caulis alicuius promineat, & huic ficus adnascuntur instar acinorum ingentis vuæ, quæ donec folliculis suis inclusæ sunt, formam maiorum fabarum referunt, indies autem magis magisque augentur & crescunt, donec longitudinem spithami, latitudinem vero palmi assequantur, & cucumeres quasi repræsentent.

Ficus arbor singulis mensibus abscinditur.

Resecantur autem antequam ad perfectam maturitatem perueniant, atque cum caule suspenduntur, qui tanto interdum pondere est, vt ab vno viro vix eleuari possit, Cæterum post aliquot dies in aëre pendentes maturescunt, flauumque colorem contrahunt. Ex sectura autem liquor profluere solet albedinem lactis referens. Non plus vnico arbor ista caulem vna vice profert, sed cui vltra centum ficus adhæreant, cumque caulis resecatur, ipsam simul etiam arborem abscindi necesse est, vt sola radix in terra relinquatur, ex qua statim noua arbor emergit quæ spacio menstruo iustam non solum altitudinem rursus assequitur, sed & fructu nouo exornata cernitur, ita vt iterum resecari eam necesse sit, idque singulis mensibus per totum annum ita continuatur.

Fructus huius natura & efficacia.

Cæterum fructus hic tenerrimus & suauissimus, lenitate & mollitie sua vel butyrum superat, coloris est ex albedine flauescentis, infrigidat ventriculum, & non solum raucedinem inducit, sed & diarrhæam prouocat si nimirum immoderate comedatur, Mulieres etiam salaces & libidine admodum prurientes efficit. Sunt autem qui ex suauitate fructuum & arboris pulchritudine coniiciant, arborem forsitan eam esse, quæ in medio paradisi consita, fructus eos protulerit, quibus primis parentibus nostris interdictum fuerit vesci. In medio fructuum crucis apparet signum, si nimirum cultro diuidantur, quod Nigritæ admodum auersantur.

Ananas.

Porro & *Ananas* habent, fructus tenerrimos suauissimosque & tam ab odoris gratia quam à saporis præstantia commendatissimos. Variis autem appellantur nominibus, illis enim qui in canariis vel fortunatis habitant insulis, *Ananasa*, Bresilianis, *Nana*, Hispaniolam inhabitantibus *Iaiama*, vocantur, Hispani vero qui in Bresilia sunt, *Pinas* nominant. Duorum autem generum sunt, masculini nimirum & fœminini, quorum vtrumque magnitudinem malorum medicorum, quæ Melones vulgo vocamus obtinet, coloris sunt pulcherrimi, ex flauo nimirum viridique & russo, suauiter rubentis, qui tamen, ad maturitatem vbi fructus peruenerint, paulatim in colorem mali aurei desinit. Naturæ sunt calidæ & humidæ, At sine vino illis vesci non licet, concoctionis sunt facilimæ, immodice tamen si comedantur, inflammationis causa existunt.

In

In *Guinea* vnius tantum generis inueniuntur, Assurgunt ad orgyæ dimidium à terra, & folia habent herbæ, quam semper viuam vocant, similia, si instar raphani in orbiculos dissecentur, & vino hispanico perfundantur, cibum præbent adeo delectabilem, vt eo expleri & saturari vix possis.

Naturæ sunt calidissimæ, & agro delectantur arenoso, Liquorem, si exprimas, præbent, vel musto dulciorem. Atqui si cultrum quo in scindendo hoc fructu, vsus es, non statim abstergas, sed madidum ita seponas, deprehendes eum vel semihorulæ spacio ita exesum & consumptū, ac si aqua forti consperfus fuisset. Causa sæpe ingentium morborum existunt, si immoderate assumantur.

Iam quod ad *Iniamos* attinet quibus regio ista etiam abundans est, illos seminari & plantari necesse est instar raporum nostratium, Nihil enim aliud sunt quam rapa sub terra nascentia, quemadmodum etiam raporum flaui coloris magnitudinem assequuntur. Coloris sunt in exteriori parte murini vel cinerei, intrinsecus vero rapis nostratibus albis assimilantur, quamuis dulcedine & suauitate aliquantulum ab eis differant. Si in aheno, cum carnibus decocti, cuticula exteriori, liberentur, oleoque & sale probe perfundantur, cibum præbent suauissimum, sed panis loco pasim habentur & comeduntur, suntque cibus Nigritarum vulgatissimus & fere quotidianus. *Iniamus.*

Simili modo *Batates* habent, *Iniamis*, si colorem excipias, nōn admodum dissimiles, sunt enim colore nonnihil rubicundo, saporem habent nucum sub terra nascentium, Suntque cibus Nigritarum vulgaris, assis enim & elixis passim vescuntur. *Batates.*

Palma arbor, ex qua vinum colligunt, similis fere est Dactylo arbori, quam ipsi *Cocos* vocant, item alteri cuidam quæ ipsis *Lantor* dicitur. Reperiuntur enim huius generis arbores aliquot, quæ foliis quidem fere conueniunt, sed certis tamen notis & signis ab inuicem discernuntur. Et hæc quidem proceritate ab aliis differt, quam cæteris omnibus minorem habet. *Palma vinum proferens.*

Ex hac arbore vinum suum colligunt, perforata enim liquorem suppeditat lacti non dissimilem, qui frigiditate & suauitate sua admodum delectabilis existit. Non diu autem asseruari hoc vinum potest, sed necesse est vt recens ex arbore collectum bibatur, tunc enim non dulce solum & gratum potu sed & inebrians est, & dolorem in capite excitans, sed si asseruatum veterascere incipiat, acidum plane fit & ad bibendum ineptum, quin imo breui temporis spacio in acetum plane transit, vt acetariis adhiberi posit. Vrinam ciet, & hominem non valde grauat, quippe quod facile per vrinam rursus dissipetur. *Vinum de palma.*

Quamprimum ex arbore promanat, feruere incipit ac si igni appositum esset, & tum tantæ virtutis est, vt si vitro infusum probe obturetur, ne vel transpirare vel aërem admittere posit, vitrum disrumpi necesse sit, Verum vbi ita deferbuit, amissa statim suauitate, tantam breui tempore acredinem & austeritatem contrahit, vt à natura sua degenerasse, & plane deprauatum esse videatur. Sed tamen etiam aqua valde miscetur & diluitur antequā in foro venū exponatur, ita vt nō facile purū sicut ex arboribus promanat, haberi posit. Corrūpitur autē ab ipsis,

partim ex auaritia vt copia eius maior fiat, partim vero vt palato melius arrideat, crassitie eius nonnihil discussa & moderata, temperatum enim aqua modica, mulsi nostratis saporem acquirit, colore ad mustum quam proxime accedens.

Palma arbor quomodo renouetur.

Arbor hæc quando inueterascit, ita vt ex superna parte, vel cacumine nihil suppeditare amplius possit, statim à terra abscinditur, & nihil eius præter radicem fit reliquum. Postmodum ab altera parte accensa, vini si quod in trunco adhuc restat, calore isto ad partem protruditur oppositam, & in subiectam ollam colligitur, quo ita expresso, truncus tandem Vulcano consecratus comburitur. Cæterum ex radice, noua statim arbor emergit, quæ vbi dimidium annũ attigerit, vinum rursus suppeditat æque ac prius generosum. Cum autem non sit diuturnum, hoc vinum primo statim diluculo illud colligi necesse est, vt circa meridiem in forum prolatum vendatur, & eo ipso statim die absumatur, per noctem enim sepositum acescit & perit.


Palmites.

Non frequentes admodum hoc loco *Palmites* visuntur, quæ arbores sunt ramis & frondibus in vniuersum carentes, fructus vero ex stipite protrudunt, illis non multum dissimiles, quas *Ananas* vocant. Fructus ad maturitatem vbi peruenerũt, colore aureo delectabiles apparent, aperti vero, nucleos vel granula exhibent, instar mali alicuius punici quam plurima, quæ saporis sunt suauissimi, cum folliculus exterior, cui grana ista inhærent, crudus sit & esu plane ineptus.

Cap. XXXIX.

DE NOBILITATE IPSORVM, QVOMODO NIMIRVM, ET *quibus ceremoniis nobiles creentur, Itemque qua ratione nobilitas comparetur & confirmetur.*

Nobilitas parum lucrosa.



MVLTI in his regionibus Nobiles inueniuntur, sed tenuioris tamen fortunæ & opum exiguarum. Quamuis autem non admodum lucrosa existat nobilitas ista, & parum ex ea commodi sperari posit, summo tamen studio ab illis expetitur, Dies enim noctesque eo contendunt vt tantum pecuniæ acquirant, quantum ad comparandam nobilitatem satis est, quæ certis sumptibus acquiritur. Triplici enim munere nobiles alii primo honorandi sunt & devinciendi, primũ est canis qui ipsis *Cabra de Matto*, h.e. Capra vel ouis syluestris dicitur, alterum Ouis est vel capra domestica. Tertium est bos vel vacca. Præter hæc autem munera sumptus adhuc alios facere quam plurimos cogitur nobilitatis appetens, vt paulo post apparebit, Et hæc quidem munera inter nobiles alios distribuuntur.

Munera pro acquirenda nobilitate.

Qualis ad nobilitatem assequendam præparatio fiat.

Cum igitur nobilitatis candidatus aliquis, vt ita dicam, qui ad honorem hunc aspirat, excussis diligenter viribus suis, deprehenderit, se oneri huic esse ferundo, necessarium ante omnia est, vt nomen suum apud præfectum Regium profiteatur, & bouem in forum productum ibi alligari curet. Hoc enim facto, publice proclamari præfectus iubet hunc &c. nigritam, ad nobilitatem aspirare & eo &c. die insignia nobilitatis consecuturum. Interea dum fama hæc percrebuit, Nobiles omnes sese præparant, vt solennitati huic interesse, & spectacula dare populo possint. Candidatus vero seu futurus nobilis, omnia præparat quæ ad festiuitatem

vitatem hanc necessaria videntur, nam vt hospites siue conuiuas suos qui honoris sui gratia in foro congregabuntur, bene accipiat, de multis sibi gallinis, & præstantissimo vino prospicit, cuilibet enim gallina cum vasculo vini domum mittenda est, vt gaudii huius publici aliquo modo etiam in ædibus suis particeps fiat.

Quibus ceremoniis Nobiles creentur.

Instante igitur iam die solennitati huic deputata, populus omnis magna frequentia in foro congregatur, Et superiores quidem, qui magistratum gerunt, certo loco consident; variis instrumentis musicalibus; vtpote tympanis; cornibus, tibiis; nolis siue tintinnabulis, & id genus aliis instructi. Præfectus autem ipse in medium procedit, armis suis instructus, multisque stipatus Satellitibus, qui omnes Clypeis & Sagittis armati; inque facie & per totum corpus colore vel rubro vel flauo infecti, terribiles & metuendi apparent.

Postea Candidatus vel futurus nobilis; ab aliis nobilibus ornatus & indumento indutus nouo; ingreditur; puerum à tergo sequentem habens, qui sellam portat, in quam collocuturus cum aliquo consideat. Mox autem consanguinei & amici primum omnes ordine accedunt, de nouo hoc honore ipsi congratulaturi, qui antequam eum alloquantur; manipulum straminis, quod ędificiis passim, vt supra dictum, affusum est; pedibus eius substernunt, vt ex sella sua surgens, non terræ sed stramini pedibus suis nudis insistat, Quæ consuetudo quidem semper ita obseruatur, si amicus amicum conueniat, vel munus quis alteri aliquod offerat, honoris & beneuolentiæ signum illud interpretantes.

Congratulationes.

Viris abeuntibus, mulieres succedunt, expectantes, donec vxor futuri istius nobilis in publicum procedat, vt nimirum ei gratulentur & honorem aliquem exhibeant. Exornant autem sese modis quibus possunt optimis; Capillos multis *Fetißis* aureis, & collum torque siue circulo aureo condecorantes, Brachio dextro armillas circumdant aureas, exiguo clypeo ad formam operculi alicuius ex puro auro facto insignes; Manu vero altera muscarium ex cauda equina factum gestant.

Omnibus igitur ita congregatis, in ordinem sistuntur; tum vero bouem præcedẽtem, qui nimirum ab aliquo ducitur, omnes tam viri quam mulieres ordine insequentes, per plateas & circa ciuitatem progrediuntur; saltantes & variis gesticulationibus lætitiam suam declarantes. Reuersi vero in forum; & boue rursus alligato; tympana pulsant, Choreas ducunt & gaudio exiliunt, ita tamen vt arma sua non deponant, illis enim semper instructos esse oportet, Exultant igitur, nouoque perfusi gaudio, nouo huic nobili applaudunt, vnoquolibet pro sua virili studente, vt delectationem ei afferre, & placere præ cæteris possit.

Sed & mulieres non minori afficiuntur voluptate, hilari enim animo cantus & choreas exercent, curisque laxatæ domesticis omnibus, in lætitiam totæ resoluuntur, Iuniores vero nobiles, sellæ impositos modo nobilem hunc nouum, modo vxorem eius, mutatis vicibus, per plateas ciuitatis circumgestant, donec vespera fiat, tum enim magna stipante Nobilium caterua domum deducitur, & ad quietem componitur, sequenti autem die Nobiles eum multi ante ædes eius congregati præstolãtur, egressumq; domo, in forũ rursus deducunt, voluptates, lusus & gaudia eodem modo quo pręcedenti peregere die, repetentes, Et hęc quidẽ festiuitas per tres dies cõtinuatur, quo tempore vexillum album in ædibus noui huius nobilis erectum volat, in singularis nempe lætitiæ, & festi alicuius splendidioris signum.

Bos mactatus populo distribuitur.

Tertio tandem die bos ille mactatus & in aliquot partes dissectus, inter populum distribuitur. Nobili vero, in cuius honorem hæc festiuitas celebrata est, vt & vxori eius nihil quicquam de carnibus huius bouis gustare permittitur, persuadentur enim, se, gustatis hisce carnibus intra anni spacium, certo morituros.

Priuilegia nobilitatis.

Consummatis igitur solennitatis diebus, caput huius bouis domum Nobili huic affertur, quod vario colore infectum & multis stramineis *Fetißis* mire exornatum in aula sua postmodum suspendit, in testimonium & confirmationem nobilitatis suæ, cuius beneficio multa acquirit priuilegia, vtpote quod seruos seu mancipia emere, & negotiationes varias exercere possit, quibus ipsi antea interdictum fuerat.

Nobiles pauperes & miseri.

Hinc igitur est, quod nobilitatem assecuti, admodum insolescant, & subinde coram peregrinis de dignitate sua glorientur. Primum enim quod peregrinis prædicant, est, quomodo nobilitatem assecuti sint, & multos seruos habeant. Hoc enim nomine magnos sese, & præ cæteris honorandos arbitrantur, quanquam haud raro accidat, vt finito nobilitatis festo, cum dignitatem hanc assecuti sunt, pauperiores fiant quam antea vnquam fuerunt, idque hanc ob causam, quod omnem substantiam in id impenderunt, vt superbiæ & cupiditati suę satisfacerent, & nobiles salutarentur, vnde ad piscaturam rursus redire, vel alia seruilia opera facere sæpe coguntur, ni fame perire velint miseri.

Sumptus pro consequenda nobilitate.

Sumptus vero in nobilitatem expendendi, Octo propemodum *Bendæ* sunt, quæ assem vel libram auri vnam apud nos faciunt, si vero ea quæ ipsis donantur, & ab amicis festiuitatem hanc concelebrantibus honoris ergo afferuntur munera detrahas, semissem vel selibram vix excedent.

Festa nobilium anniversaria.

Cæterum nobiles hi fraternitatē inter se colunt & festum anniuersarium in recordationem festiuitatis huius quotannis celebrant, quo inuitatis ad prandium amicis, frontem exporrigunt ciboque & potu sese reficiunt, & tum quidem caput huius bouis albo colore renouatum multis aristis & spicis Milii vel tritici in recordationem nobilitatis suæ exornant.

Festum fraternitatis.

Præterea adhuc aliud festum ordinarium fratres nobilitatis huius quotannis celebrant, quod incidit in 6. diem Iulii. Hoc enim die vniuersum corpus suum albo & rubro colore, inficiunt, suspensamq; à collo coronam ex virentibus arborum frondibus & stramine contextam, per totum diem gestant, tanquam insigne aliquod nobilitatis, quo nobiles ab aliis dignoscantur, monumentum, capita vero boum & caprarum in ædibus suis reposita, multis similiter *Fetißis* exornant, & sub vesperam ad ædes præfecti sui conueniunt, qui conuiuio eis acceptis cænam dare variis epulis instructam solet.

Cap. XXXX.

DE CHOREIS ET SALTATIONIBVS IPSORVM, ITEMQVE de instrumentis musicis, quibus choreas ducentes vtuntur.

Ornatus mulierum ad choreas ire volentium.



AD Choreas ituri miris sese modis exornant, Et mulierum quidem maior hac in re diligentia est, hæ enim mirifice sibi saltantes placent. Brachiis igitur multas armillas siue circulos cupreos, æneos, stanneos & eburneos circumdant, pedes

des vero nolis & tintinnabulis exornant, vt inter ſaltandum reſonare audiantur. Capillos eleganter circumvoluunt, vt quaſi faſciis crinalibus colligati videantur, corpus aqua probe ablutum, oleo diligenter inungunt, vt nitidum quaſi ſplendeſcat, Dentes vero cum candidos habeant, ligno quodam ita perpoliunt, vt eburnei quaſi videantur.

Sic exornatum corpus, indumento tegunt, lintei nimirum ſegmento quod ab vberibus ad genua vſque propendeat, ſeſe conuoluentes. Plerunque autem ſub veſperam conuenientes, ad Choreas in foro exercendas, proficiſcuntur.

Sunt autem, ex illis aliqui, qui inſtrumenta muſica ſecum afferunt quibus nimirum ad choreas ludant, Eaque ſunt vel pelues cupreæ, quas baculis pulſant, vel tympana ex trunco excauatæ arboris inſtrata nimirum eis caprina pelle, parata. Alii baculos habent rotundos, multis foraminibus perforatos, qui pulſati, mirabilem edunt concentum. Alii crotala habent & crepitacula, Alii teſtudines habent ex ligno excauato artificioſe factas, inſtar Citharæ ſex chordarum, vel Harpæ noſtratis potius, quam noſtri duabus manibus pulſare ſolent, Sic enim & ipſi hoc inſtrumentum vtraque manu pulſant, quod ſex chordis ſiue fidibus arundineis obtenſum reſonat. *Inſtrumenta muſica.*

Congregati igitur inſtrumentum quilibet ſuum pulſat, habita diligenti concentus ratione, vt nimirum inſtrumenta illa aliquo modo conſonent, nec diſſonantia ſonorum aſpera, aures nimium feriant lædantque. *Concentus.*

Alii porro canunt, & chorearum initium faciunt, quarum hæc plerunque eſt ratio, Bini ſemper ex adverſo ſibi oppoſiti, pedes ſubinde eleuantes & deprimentes, ſeſe conuertentes, digitis ad inuicem perſtrepentes, capitibus ſibi innuentes, ea inclinantes, in aurem ſibi invicem tacite aliquid inſuſurrantes, & muſcarium ex cauda equina factum, manibus non ſolum varie permutantes, ſed & modo in hunc, modo in alterum humerum proiicientes, ſaltant.

Quædam mulieres circulos ex ſtramine contextos in terram leuiter demittunt, deinde ipſis inſiliunt, pedibus porro eleuatos, in aërem proiiciunt, & manibus rurſus comprehendunt, ineptiis eiuſmodi puerilibus ſeſe mirifice oblectantes, voluptatemque non exiguam inde capientes. Præſentiam tamen peregrinorum Choreas eiuſmodi ducentes admodum auerſantur, ne ſcilicet riſui ipſis ſint & ludibrio, quod pudere iam eos aliquo modo eiuſmodi ineptiarum cæperit.

Sed & certa ibi ædificia habentur, ad eos vſus deſtinata, vt iuniores ſaltare & inſtrumentis ludere diſcant. Iuvenes vero potationibus & nocturnis circumcurſationibus admodum dediti ſunt, qui ſæpe ingentes dare turbas in plateis ſolent, armati enim incedunt, & aliquando in adverſarios incidentes, à verbis ad verbera perueniunt, Non facile quidem commouentur, & cedere ſibi invicem in multis poſſunt, Verum vbi ſemel in arenam pertracti ſunt, ſine ſanguine non diſcedunt, & vix cohiberi poſſunt, donec alter ab altero interfectus concidat. *Mores Iuvenum.*

CAP. XXXXI.

DE MORBIS QVIBVS VVLGO CORRIPIVNTVR, ET DE remediis, quæ ipsis adhibere soleant.

HOMINES eius loci multis morbis & infirmitatibus obnoxii sunt, sed parum tamen sibi ab illis metuunt & nihili faciunt siue vulnera siue morbos quibus corripiuntur. Vulgàriores autem morbi, quibus multum obnoxii sunt, numerantur, morbus gallicus, phagedæna siue vermis. Cephalæa siue capitis dolor, & febres ardentes, quos quidem omnes plerunque ab impudicis mulieribus contrahunt, cum ad venerem & scortationes sint propensissimi.

Morbi vulgariores.

Verum morbo quocunque correpti parum extimescunt, contemnunt enim eos & nihili omnino faciunt, ambulantes per plateas & negotia sua peragentes, ac si rectissime valerent & nullius ægritudinis dolorisve conscii sibi essent. Naturæ enim sunt robustioris, & non facile externis cedunt iniuriis. Vulneribus remedia nulla adhibent, parum attendentes siue crustam agant & pus colligant, siue cicatricem ducant, Neque enim vel remedia vlla norunt vel chirurgos habent, qui ipsis cōsilio & auxilio venirēt si morbo aliquo corripiantur, vel vulnera etiam si quæ accipiant obligare & sanare possent. Resistere igitur affectionibus & infirmitatibus non possunt, quicquid etiam de illis fiat, nisi forsitan à Chirurgis Batauorum vel emplastrum vel medicinam aliquam accipiant.

Medicina & remedia.

Morbo gallico siue venereo correpti, *Salsaparilla* herba plerunque vtuntur, quam Bataui ad ista loca transportare magna copia solent. Eam enim aqua fluuiatili coquunt, & decoctum hoc postmodum bibunt non sine fructu. Quin etiam phagedæna siue vermibus correpti, qui ex pedibus vel aliis corporis partibus erumpere videntur, hoc decocto vtuntur, vt infra pluribus, cum morbus hic Batauos etiam ibi multum versantes, corripere interdum soleat, hac de re dicetur.

Remedia morbi gallici.

In Cephalæa vel capitis doloribus pulmentum quasi quoddam adhibent, ex certis arborum foliis paratum, ad locum nimirum affectum, vbi dolorem sentiunt, illud applicantes. Quod si tumores alicubi erumpant, & cutis ex inflammatione aliqua intumescat, cultro affectum locum aperiunt, cutem tribus vel pluribus pro magnitudine inflammationis, secturis incidentes, & suppurationem ita promouentes, quæ post puris eruptionem sua sponte postmodo coalescat. Hinc est quod cutem habent extantibus & callosis tuberculis admodum deformem, Cicatrices enim eiusmodi, ab aliis stigmatibus, quæ ornatus gratia corporibus inciduntur, agnoscere & discernere facilimum est. Phlebotomiam autem nullam adhibent, vsum scalpello venam secandi & sanguinem detrahendi prorsus ignorantes. Eius vero loco, si quando sanguinem nimis abundātem sibi molestiam creare existimant, cutem hinc inde cultro aperiunt & secant, vt sanguis inde effluat.

Remedia Cephalææ.

Phlebotomia.

Cæterum si morbo quodam naturali quis corripiatur, nemo est, qui, non dico, medicinam ei faciat, sed accessu eum dignetur, aut dolores eius vel solatio & verbis leniat, Ægrotus n. omnibus odio esse incipit, &

Inhumanitas erga ægrotos.

omnes

omnes eum vt pestem auersantur, quinimo vt canem vilissimum eum abiiciunt, vix guttulã aliquam aquæ oleiue ei subministrantes. Nec vero vlla hic vel consanguinitatis habetur ratio, omnes enim natura, ægrotos auersantur, ita vt parentes etiam liberos suos abiiciant & negligant, licet fame & inedia confectis certissima morte pereundum esse non nesciant.

Cap. XXXXII.

DE MANCIPIIS ET SERVIS IPSORVM, ITEMQVE DE MIsere affectis & mutilatis, quomodo victum sibi comparent, nec non de invidia & odio quo sese invicem prosequuntur.

DILIGENTER admodum inter Æthiopes & Nigritas discernunt, neque enim Æthiopes vocari volunt, sed *Negro* vel *Pretto*, quod idem atque Nigritas sonat, Æthiopum vocabulo mancipia denotari putantes, vnde si eos compellando, Æthiopum vocabulo vtaris, responsum ab eis vix impetrabis. Nam etiamsi quædam etiam inter ipsos mancipia inueniantur, tamen non tanta copia sese offerunt, vt in *Agola* vel *Congo*, vbi integras naues illis onerare & aliis diuendere possunt, cum econtra in *Guinea* sæpe mancipia desiderentur, & quidam sint, qui ea emere expetant, dummodo haberi possint. *Nolunt vocari Æthiopes.*

Causa autem cur non tanta Mancipiorum apud ipsos reperiatur frequentia hæc est, quod seruos emendo & vendendo nulla ibi commercia fiant, & ipsi eos tantum ad negotia propria adhibere soleant, Neque enim cuiquam, nisi in nobilium numero sit, negotiationes mancipiorum emendo scilicet & vendendo ea, exercere concessum, Fiunt autem ex pauperibus miseris & afflictis hominibus, qui rebus suis præesse, & victum sibi comparare nullo modo possunt, vel qui ad mulctam condemnati, Regi satisfacere non possunt. Hi enim dum in viuis sunt, hominibus, in quorum potestatem peruenerunt, inseruire coguntur, perficiendo omnia vel abiectissima negotia, & mulieres in negotiis domesticis iuvando. *Mancipia rara & vnde fiant.*

Quod autem pueros attinet, qui à parentibus suis in seruitutem venditi, viribus illis nondum sunt vt domestica perficere negotia possint, illi vel læuigandis & perpoliendis orbiculis vitreis, vel capiendis piscibus adhibentur, Ne autem Dominos suos fallentes in pedes sese coniiciant, ferro candenti signantur, vt agnoscantur & si forte aufugerint in viam reducti, Dominis suis restituantur. *Mancipia stigmate notantur.*

Cæterum qui oculis vel pedibus capti, vel alio aliquo membro mutilati & misere affecti sunt, vt laborando cibum quærere non possint, hi vel ad officinas ferrarias, vt folles premant, vel ad torcularia, quibus oleum palmarum exprimitur, à Rege destinantur, vel colores terere, & aliud quid quod per vires adhuc possunt, facere coguntur, vt ita cibum inueniant, mendicos enim qui ostiatim panem suum colligant, nullos ferunt, cibum suum nemini gratis communicantes. *Cæci & mutili quomodo sustententur.*

Reges eius loci multa alunt mancipia, vt nimirum illis venditis rem faciant & aliquid lucrentur, negotiationes enim & commercia manci-

piorum ipsi exercent. Cæterum seruos liberos, quales apud nos habentur raros invenias. Quod autem ad scorta & meretrices attinet, mancipia fere sunt, quæ vitam suam in perpetua transigere seruitute coguntur.

Odium & invidia ipsorum. Odium & inuidia apud ipsos non exulant, Omnes enim eo sunt animo, vt si offendantur, non facile reconciliari possint, memores enim sunt iniuriarum, & aduersarios modis omnibus persequuntur, iracundiam sæpe tegentes & vel ad decennium vsque dissimulantes, donec commodam nacti qua sese vlciscantur occasionem, peruersum & malignum suum animum aperiant.

Eiusmodi vero odium non inter priuatos tantum reperitur, sed publicum est, ita vt ciuitas altera alteram invidia premat & odio persequatur, cuius rei causa quidem alia dari non potest, quam quod alia fortunis alterius semper offendatur, id enim studiose omnes agunt, vt naues Batauorum ad se allicere, atque commodum inde aliquod percipere possint, itaque si videant naues ad portum alterius ciuitatis deflectere, odio eam statim persequuntur, commodum illud ei præripere cupientes. Neque enim vicinitatem respiciunt aut colunt, sed alia aliam coram peregrinis traducit, se vero eis insinuare summopere laborat, vt amicitiam Batauorum potissimum conseruet, quos suis commodis maxime conuenientes esse animaduertunt, & iam relictis Lusitanis vnice amplectuntur.

Cap. XXXXIII.

DE SENIBVS ET AETATE CONFECTIS, ITEMQVE DE mortuis & sepultura mortuorum, quibus nimirum ceremoniis ea perficiatur, & quid de relictis defunctorum bonis fiat.

Amor inter coniuges exiguus. QVAMVIS exiguo sese amore inuicem viuentes prosequantur, & vel diuortia sæpe faciant & vxores à se dimittant, vel alteram alteri inducant & plures ita vxores simul & semel habeant, quæ quidem amoris signa non sunt, cum vir aliquis pari erga multas vxores amore & animo esse non possit, sed vni plus alteri minus fauere cogatur: Negari tamen non potest, eos ægre aliquem ex suis amittere, & admodum dolere, si aliquem ex domesticis aliisque amicis suis mori contingat.

Senes quomodo cognoscantur. Consenescere quidem haud raro solent, quod ex vultu & multis signis facile est colligere, quamuis ipsimet ætatem & annos suos ignorent. Cum enim prouectioris esse ætatis incipiunt, nigredinem paulatim amittunt, canos accipiunt, & cutis eorum in rugas contrahitur, vt corio hispanico similis videatur, quod postremum quidem à crebris vnctionibus, & multo olei palmarum vsu existit. Hinc marcescentes arescunt, & quasi inedia extenuati, macilenti totique elumbes apparent, inprimis vero mulieres ob mammarum dependentium laxitatem satis deformes.

Morbi. Sole æquinoctialem percurrente lineam, ita vt ipsis verticalis existat, multis morbis passim obnoxii sunt, vnde etiam non pauci tum temporis moriuntur, propter aërem quo minus salutari tum fruuntur.

Cæterum defuncto aliquo, consanguinei, familiares & amici eius magno

magno numero congregantur, plangentes, & multis querimoniis eum deplorantes, alloquentes item defunctum & ſubinde eum interrogantes, cur mortuus ſit, & quid cauſæ ex hac vita emigrandi habuerit? Poſtea depoſitum in ſtragulo ex corticibus arborum contexto, panno goſſypino, qui quidem ad nullos alios vſus adhibetur, involvunt, Hunc enim pannum ex locis à mari remotioribus afferri curant, eſtque coloris rubri, cærulei, nigri & albi. Capiti ſellam ligneam ſubiiciunt faciem eius pelle caprina tegentes, Corpus totum cineribus ex contritis arborum corticibus factis conſpergunt, Oculos ei non comprimunt, brachia vero & manus iuxta eum extenſas deponunt. Inuolutum ita ſub dio iacere per diem dimidium ſinunt, conſidente apud eum vxore quam habuit Chariſsima ſi vir eſt; vel viro, ſi mulier eſt, & continuis lachrymis caſum eius deplorante, faſciculoque ſtraminis faciem eius ſubinde perlinente.

Quomodo defunctum involvant.

Interea amicis & vicinis omnibus ad deplorandum triſtem hunc defuncti caſum congregatis, proximæ quidem ex amicis mulieres circa domum conſtitutæ, cantare & vaſa ſua ænea ſeu pelues pulſare incipiunt, Interdum vero etiam defunctum accedentes, quaſi corona cingunt, canentes, ſaltantes, manibus pedibuſque perſtrepentes, & tumultum non exiguum excitantes. Mox domum rurſus canentes atque ſaltantes circumeunt, & hoc ipſum ter vel quater repetunt, donec adueniant qui funus efferant, omniſque præparatio fiat, ad conuiuium peracta ſepultura celebrandum. Eum enim in finem ouem vel capram & gallinas mactatas præparant atque coquunt, vt poſt ſepulturam, frontem exporrigere & dapibus ſeſe recreare poſſint, luctu omni depoſito atque abiecto.

Præparatio ad convivium funebre.

Interdum vero mulier quædā ex vicinitate iſta quæ ætate reliquas antecellit, accepta pelui de domo ad domum progreditur, oſtiatim ſtipem colligendo, antequā adhuc funus efferatur. Et tunc quidē vicinorū quilibet particulam aliquā auri quæ 4. tamen bacos non excedit, perſoluere & contribuere cogitur, pro hoc vero auro bouem vel vaccam coëmunt, eamq; *Fetiſſero*, qui Sacerdos, vel pręſtigiator & veneficus potius ipſorum eſt, tradunt, vt coniuratis numinibus ſuis, à *Fetiſſo* obtineat, ne quietē defuncti turbet, ſed potius ipſum in itinere promoueat, tueatur atque defendat, vt ad mundum alterum, quo iam iter inſtituit, peruenire ſine moleſtia poſſit. Hunc bouem *Fetiſſerus* poſtmodum mactat, ſanguine eius, ad coniurandum *Fetiſſum* adhibito, cum defunctus *Fetiſſo* ſuo ſanguinem offerre ſemper cogatur.

Cantiones & luſus funebres.

Porro funus hoc tabulæ alligatum cantantes & ſaltantes efferunt, vbi ipſum quidē funus viris portatur, at à ſolis tamen mulieribus deducitur, nemo enim præter mulieres illud comitatur, quæ ſingilatim, vna nimirum poſt aliam, incedētes, baculo innituntur, capita ſerto ſtramineo exornatæ. Cæterum vxor viri defuncti chariſsima, funus proxime inſequitur, q; ſi vero mulier mortua ſit, vir ipſe funus hoc comitatur lachrymans & dolēs defunctæ vxoris vicē, præter illū autem, nulli viri pro funere eūt, niſi forte illud in loco peregrino fieri debeat, ſic enim interdū accidit, vt funus aliquod ad 20. miliaria à loco vbi ægrotus mortuus eſt, deducatur, atq; tunc viri quidam armis ſuis inſtructi funus illud comitantur.

Funus quomodo efferatur.

Cum ad locum ſepulturæ ventum eſt, Libitinarii humum aperiunt, foueam facientes 4 pedes profundam, hanc deinde impoſito cadauere

Defuncti quomodo ſepeliantur.

multis palis operiunt, ita vt nihil penetrare ad funus possit, postmodo mulieres hac illac per sepulchrum serpendo, multas querelas lamitantes nectunt, & vltimum defuncto suo vale dicunt. Hoc facto humus palis illis imponitur, aggestaque terra instar cistæ alicuius aut muri quadrati eleuatur, cui postmodum vniuersam defuncti supellectilem, ollas nimirum, patinas, pelues, batillos, lebetes, vestimenta item & alia quibus in vita sua defunctus vsus est, imponunt, armis eius sepulchrum obsepientes & munientes, ne in altero forsitan mundo, rebus eiusmodi necessariis destituatur.

Supellex & vestimenta defuncti, cum eo sepeliuntur.

Insuper & ab amicis munera quædam afferuntur, quibus defunctum honorent, hæc simul cum ipso vel terræ mandant vel sepulchro imponunt, tanquam monumentum & pignus aliquod amoris sui. Etsi vino forte defunctus in vita sua delectatus est, vasculum aliquod vini sepulchro imponunt, vt habeat quo sitim in altero mundo restinguat. Quod si mulier quædam in puerperio vna cum infante moriatur, infantem vlnis eius impositum, simul cum ea terræ mandant, sed & tectum sepulchro imponunt, quo supellectilem & vasa isthæc omnia à pluuiis & cæli inclementia defendant.

Munera amicorum.

Cæterum Libitinariis partem aliquam pro mercede & compensatione laboris à sepulchro accipere permissum est, nisi ab amicis eis satisfiat, qui plerunque mercedem eis persoluunt, ne bonorum sepulchro impositorum quid auferant. Honori enim sibi ducunt maximo, si multum supellectilis sepulchro imponatur, Omnia enim defuncto suo consecrata, in sepulchro relinquunt, donec putredine corrumpantur & intereant, nec quisquam est, qui vel minimum inde auferre audeat.

Merces Libitinariorum.

Peracto igitur funere, & defuncto hunc in modum sepulto, ad mare vel fluminis alicuius ripam omnes lauatum progrediuntur, vbi quædam mulierum, vmbilico tenus in aquam descendunt, aliæ cantantes & vasa sua ænea pulsantes ludunt, vna autem ex toto isto cætu, apprehensum vel virum vel vxorem defuncti, secum in aquam deducit, semel atque iterum aquæ eum, vt probe abluatur, immergens, Dum autem ita lauantur, querelas suas subinde repetunt & ingeminant. Et his omnibus ita peractis, ordine ad ædes defuncti reuertuntur, vt cænam ibi capiant & sese rursus oblectent.

Lotiones funebres.

Iam quod ad hæreditatem & bona defuncti relicta attinet, sciendum est, vxorem defuncti, siue liberos habeat, siue non, nihil de mariti sui bonis, retinere posse, quo liberos sustentare & educare queat, omnia enim quæ ab ipso relicta sunt, vel fratri vel aliis defuncti consanguineis restituere tenetur, ita vt ne hylum quidem retineat. Quod si vero frater nullus adsit, pater ipsemet hæredem sese bonorum à filio relictorum profitetur & offert. Et eadem ratio etiam virorum est quorum vxores moriuntur, Nam mortua vxore maritus omnia eius bona fratri vel alii ex consanguineis restituere cogitur, ita vt nihil ei remaneat, vnde vel liberos sustentare possit, Liberi itaque in hoc regno hæredes suorum parentum esse non possunt, multo minus vero vxoribus in bonis maritorum suorum succedere vel quicquam inde retinere permittitur, sed omnia post mortem inter fratres vel proximos consanguineos distribui necesse est, Vxores igitur vsumfructum solum bonorum viri habent, idque dum vir iste in viuis est, & quamdiu viri viuunt bonis suis vti frui possunt, illis autem vita defunctis, iam ancillarum instar cum liberis suis

Hæreditas & bona defuncti.

Liberi parētum suorum hæredes non sunt.

exire,

exire, & bonis ſeſe abdicare omnibus coguntur. Quæ quidem cauſa eſt, quod iuuenes & puellæ ab ineunte ætate ad laborem ſeſe aſſuefaciant, vt ſcilicet ad matrimonium tranſire volentes habeant, vnde rei familiaris adminiſtrandæ initium faciant, cum non modo bonis ſuorum parentum, poſt mortem ipſorum non fruantur, ſed & dotis nomine parum vel nihil ab ipſis accipiant.

CAP. XXXXIIII.

DE SEPVLTVRA REGVM ET PRAEFECTORVM SVORVM, *quomodo nimirum & quibus Ceremoniis ea peragatur.*

REGE aliquo defuncto luctus multo maior conſpicitur, tantis enim propter mortem magiſtratus ſui afficiuntur & anguntur doloribus, vt dici & explicari ſatis non poſſit. Ceremoniæ ſane & ritus, quibus in ſepulturis Regum vtuntur, iidem quidem ſunt cum commemoratis ſuperiori capite, ſed cum Reges plurium miniſterio opus habeant, quam vulgaris conditionis alii, neceſſarium exiſtimant multos ipſis adiungi famulos, qui non in itinere ſolum eum comitentur, ſed & in altero mundo, ipſi famulentur, & omnia ſervitia peragant, cum iter difficile & periculoſum ipſi conficiendum ſit, ad quod non parum requiratur. Reſurrectionem quidem mortuorum plane ignorant, interim tamen arbitrantur mortuos ſuos in alium aliquem mundum commigrare, vbi variis rebus opus habeant, & eodem modo vitam, vt in hoc mundo agant, Cumque nihil ibi venale expoſitum inueniant, neceſſarium eſſe putant, cum ipſis aliquid bonorum ſepeliri, atque ita inopiam & neceſſitatem ipſorum ſubleuari, non ſolum de ſupellectile domeſtica, ſed & de veſtimentis & famulitio ipſis proſpiciendo. *Luctus defuncto Rege magnus.*

Quod igitur nobiles attinet, qui in aula regia, Regi miniſtrarunt, horũquilibet mancipium aliquod Regi defuncto largitur, cuius miniſterio in altero mundo vtatur. Alii ex mulieribus ſuis vnam ei largiuntur, quæ cibũ paret, & in aliis ei gratificetur. Quidã filiorum ſuorũ aliquos ei offerunt, vt ita vtriuſq; ſexus ſatis magnus congregetur numerus eorum, qui Regẽ comitẽtur, qui quidem omnes interficiuntur antequã id animaduertant vel cogitent, Qui n. Regi ſuo munera hæc offerre cõſtituerunt, mentionẽ quidem hac de re nullã faciunt, ſed tecte id diſſimulant, ne animaduertant ſibi cum Rege in alterum mundum proficiſcendum eſſe. Cum autem dies ſepulturæ deſtinatus iam inſtat, perſona Regi offerenda peregre abire cogitur, ablegata nimirum à ſuo Hero ad ciuitatem vel pagum hunc atq; alium, vt negotium aliquod perficiat, ſed latet anguis in herba, dum enim in itinere eſt, ſubornatus aliquis clam à tergo inſequitur, & iaculo vel haſta miſſili eam petens ex improuiſo, antequam id ſubolfaciat quidem trucidat. *Regi defuncto multi ſerui & famulæ adiunguntur.*

Cęterũ trucidati ad aulam Regiã deferuntur, vt appareat quã charum nobiles & ſubditi alii Regẽ ſuum habuerint, Cadauera n. illa omnia ſanguine probe conſperſa & perlita, vna cũ Regio funere vni ſepulchro imponuntur, vt ſimul cum eo iter faciant. Quin & vxores quæ Regẽ præ cęteris charum habuerunt, vltro mortẽ oppetere nõ verentur, vt vni cum eo ſepulchro incluſæ, & monumento ſimul reconditæ, pari paſſu ambulantes ei adhæreant, & in altero mundo ab eo non ſeiungantur. *Vxores Regia cum Rege ſepeliuntur.*

Capita

Monumenti regij exornatio.

Capita autem eorum qui ita trucidantur, terræ non mandantur, sed ceruicibus resecta hastis affiguntur, vt stipatum illis & circumseptum monumentum exornetur, quod ad honorem Regis non parum ea facere existiment. Cæterum monumento postmodum cibus & potus imponitur, vt habeant quod edant bibantque, existimantes eos cibum potumque istum absumere, vnde vasa ista subinde renouant & nouo vino aquaque euacuata replent.

Porro vestimenta, armaq; & omnia quæ chara in hac vita habuerunt, cum eis sepeliuntur, Nobiles vero & Aulici omnes, ex terra delineati, & formati viuisque coloribus vt viuentes repræsentent, illuminati, circa monumentum istud collocantur, vnde sepulchra ista amplitudinem sæpe ædificiorum regiorum exæquare cernuntur, quæ omnibus etiam rebus necessariis complentur, vt nihil ipsis si vel in viuis adhuc essent, deesse posset. Nam & à defunctorum Regum successoribus in tanto habentur honore, vt excubias ibi suas constituant, ne si forte defunctus Rex, rei alicuius indigeat & aliquid expetat petitione sua frustretur.

Cap. XXXXV.

DE ARTE NATANDI, QVOMODO NEMPE NON SOLVM in, sed etiam sub aquis sese continere possint, & quam mulieres etiam natandi sint peritissimæ.

Causa cur in natando excellant.



QVOD Nigritæ isti, præcipue vero qui in maritimis habitant ciuitatibus, in natando sint præ cæteris exercitati, inde fit, quod à prima pueritia aquis assuefiant, quamprimum enim ambulare inceperint, aquis sese iam committunt, oblectantes sese in eis & tempus fallentes, idque promiscue absque vllo sexus discrimine & pudoris verecundiæve respectu. Nam quod paganos attinet, qui remotiora paululum à mari loca inhabitant, adeo sunt huius artis ignari, vt sæpe etiam expauescant & cohorrescant ad solum maris intuitum & aspectum, cum econtra, qui loca maritima incolunt, nihil extimescant etiamsi nauigium quo vehuntur, vento & fluctibus maris impulsum subuertatur, quippe quod in mari natantes summa illud dexteritate erigere, & aqua euacuatum conscendere rursus facile sese posse non dubitent.

Natandi peritia.

Quod autem attinet ad artem natandi, negari non potest, quod eius sint peritissimi, cum non solum aquis innatare, sed etiam sub eis satis diu sese continere possint, Quin imo aquis sese immergere, & non solum in profundum maris descendere, sed etiam moras ibi nectere, & bene longo commorari interuallo possunt, Itaque ob hanc etiam artem suam alibi locorum, vbi mergis eiusmodi opus habent, valde amantur & expetuntur, veluti in America Insula *S. Margareta*, quæ margaritarum feracissima est, quas ex mari mergorum istorum beneficio extrahi necesse est, sic *Ormis* etiam in India Orientali, vbi aquam dulcem, quam morbis quibusdam correpti, vt etiam vermibus infecti, bibunt, ad 20. sæpe orgyas, sub aqua maris salsa existentem, proferre & educere coguntur, cui quidem labori Nigritæ fere ex his regionibus adhiberi, & propterea etiam præ aliis chari acceptique haberi solent.

Quamuis

Quamuis vero natandi ſint peritiſſimi, non libenter tamen aquas ingrediuntur nec temere mari ſeſe committunt, idque metu cuiuſdam piſcis, qui Gallis quidem *Requiens*, Luſitanis vero *Tubaron*, dicitur, Hollandi *Haye*, nos Galeum ſiue Hinnulum marinum vocamus; Ab hoc enim piſce natantes in mari ſæpe comprehenſi vel brachio vel crure aliquo mutilantur, interdum etiam prorſus abrepti deuorantur. Natantes autem morem Luſitanorum obſeruant, brachiis enim ſupra aquam ſemper feruntur, vnum altero ſemper præponentes; pedibus vero ranarum inſtar ſeſe promouent atque protrudunt, vnde admodum celeres ſunt, & natantes Batauos, multis paraſangis poſt ſe relinquunt. *Ægre ſeſe mari committunt.* *Ratio & celeritas natandi.*

Sed & mulieres, ſi non omnes, pleræque tamen, natandi ſunt peritiſſimæ, Accidit enim non ita pridem, vt ad Hollandos in portu ciuitatis *Mourre* nauigio ſubſiſtentes, Nigritæ quidam, merces quaſdam coëmendi gratia venirent, mulierem quandam in ſcapha ſecum habentes, Inter contrahendum autem, cum peluim æneam furto ſurreptam Batauí animaduerterent, fuſtibus eos aggreſſi, vt ablatum reſtituerent vrgebant, qui metu perterriti, omnes ſeſe ex Batauorum naui in mare præcipites dedere, ſola muliere poſt ſe relicta; quæ viſo hoc tumultu & ipſa protenus deſiliit, non ſumma ſolum velocitate viros inſequens, ſed etiam fere in natando præuertens, ita vt vna cum eis enatarit & littus apprehenderit. *Mulieres natādi peritæ*

CAP. XXXXVI.

DE AVRO IPSORVM, QVOMODO NEMPE ILLVD EX TERra eruant, agnoſcant; purgent & probent, quamque propterea criſtas erigant & inſoleſcant.



QVAM ante hæc tempora auri cognitionem habuerint, ſciri quidem non poteſt; ex relationibus tamen ipſorum conſtat, notitiam eius eos habuiſſe perquam exiguam, nec etiam in magno precio aurum apud eos fuiſſe, cum nemo fuerit, cum quo cõtraherent & aurum ſuum permutarent, Verũ cum temporis progreſſu viderent Luſitanos auri cupidos eſſe, & multas propterea merces advehere, cœperunt & agnoſcere aurum, & in precio illud habere, vnde valor eius eo iam aſcendit, vt tanti apud illos, quanti vix apud noſtros æſtimetur. Subinde enim augeri precium eius cœpit, cum viderent Batauos aurũ adeo ſitire, vt poſthabitis omnibus periculis & laboribus, nauibus ſuis ad littus illud appellerent, & multo plus mercium pro eo permutarent, quam à Luſitanis ante hæc tempora factum eſſet; eos enim Hollandi in negotiationibus ſuis adeo ſuperant, vt vix dimidium bonorum Nigritæ pro tanto &c. auri precio à Luſitanis antea acceperint, quantum à Batauis hodie, ipſis offertur. *Notitia auri & valor quomodo creuerint.*

Itaq; non immerito à quibuſdam affirmatur, toto illo tempore quo Luſitani negotiationes has exercuerunt, tantum auri ex his regionibus *Lyſabonam* tranſportatum non eſſe, quãtum Batauí paucorum annorum decurſu inde acquiſierint, frequentiores enim longe & ſplendidiores iam à Batauis ibi exercentur negotiationes, plus etiam bonorum & mercium eo à Batauis advehitur, quam antehac vnquam à Luſitanis factum, vnde tot etiam ibi mercatores iam exiſtunt, qui Batauorum commercia omnes expetunt, vtpote ex quibus plus commodi, quam ex Luſitanorum negotiationibus percipere poſſunt.

Aurum vnde accipiant. Aurum autem quod hisce in locis permutatur, ex terra quidem eruitur, sed non in locis maritimis, verum in locis longe à mari distantibus, quamuis quidam ex Nigritis dicant, non procul etiam à mari, fodinas aliquas auri reperiri, nempe in loco quodam qui ipsis *Fœtu* dicitur, vnde etiam aurum illud, hoc nominis obtinuit, quod *Chika Fœtu*, hoc est aurum ex *Fœtu* vocatur. *Auri fodinæ vbi.* Non facile tamen dictu est & explicatu, quo in loco Auri fodinæ certo inueniantur, cum pauci etiam in maritimis ciuitatibus Nigritæ inueniantur, qui earum exactam notitiam & cognitionem habeant, vel vnquam aurifodinis præsentes adfuerint, cum occultæ admodum habeantur, & omni studio à Dominis possessoribusque suis abscondantur.

Domini aurifodinarum. Quilibet autem Rex proprias & peculiares Aurifodinas suas habet, vnde aurum per subditos suos erui & in lucem produci curat, quod ita erutum, mercaturæ beneficio ad alios postmodo peruenit, ambulans ex manu in manum, donec tandem ad Batauos deuoluatur, qui in Hollandiam illud transportant, vbi propter communem vtilitatem in monetam redigitur, cum pro fulua ista seu flaua quæ ex *Guinea* affertur terra, victum & amictum acquirere quilibet, & de rebus omnibus ad vitam necessariis sibi prospicere quam optime possit.

Quæ sit fodinarum ratio. Nec vero etiam qua ratione aurum illud eruatur sciri potest, aliter quam ex Nigritarum quorundam relatione, qui dicunt foueas eos satis profundas facere, Cumque inter fodiendum vena sese aliqua auri aperiat, pergere eos solere & vestigiis istis insistere, donec metam vel terminum venæ assequantur. Vnde colligitur fodinas istas arbori propemodum similes esse, quæ radices suas ad omnia latera passim extendat & emittat.

Sed & in fluuiis aurum reperitur, inter arenulas nempe vi pluuiarum & imbrium à montibus detractas. Ibi enim videas multos in aquis sedentes, aurum arenis permixtum, cochlearibus ex fundo eleuare, & simul cum arenis in peluim colligere. Et hoc quidem aurum non eadem semper quantitate inuenitur, interdum enim particulæ occurrunt digitorum, fabarum, pisorumq; magnitudine, interdum instar limaturæ cupreæ, & arenularum tenuissimarum illud sese offert. Quin imo raro in fluuiis purum & à terræ permistione liberum reperitur, Itaque lotionibus, absterſionibus & purgationibus multis opus habet. Et arenosum quidem illud, statim in fluminibus istis aqua eluunt atque purgant, sed *Auri lotiones & absterſiones.* nunquam purum plane efficere, & fecibus suis liberare prorsus possunt, semper enim arenarum aliquid ei admixtum manet.

Iam vero non sine magno labore & ingenti periculo aurũ ex cauernis & fodinis eruitur, multis cum iactura & dispendio vitæ ei colligendo & eruendo insistentibus, In foueis enim illis & fodinis multi subinde nimio æstu suffocantur, non pauci etiam fame & siti confecti misere pereunt, vt ita mercedem suam bene promereantur, *Merces eorum qui aurum fodiunt.* Ea vero dimidium semper est, de omni auro quod colligunt & inueniunt, illud enim in duas æquales semper diuiditur partes, & vna quidem Regi vel possessori fodinarum cedit, altera vero metallicis illis qui aurum illud collegerunt relinquitur.

Aurum quodnam optimum. Porro Aurum ipsis *Chika* dicitur, & ad naues Batauorum, per diuites quosdam mercatores, non procul à *Maine* habitantes rude affertur, queẽadmodum scilicet inuentum & ex terra erutum est, quod ipsum etiã pro optimo

optimo habetur, Quamuis enim arenis prorsus non careat, preciosius tamen est altero, & à fraude doloque magis alienum, ita vt malleo percussum & ventilatione ab arenis purgatum neminem decipiat, talis enim purgatio non intermittenda est; licet Nigritis odiosa existat & damnosa, arenulæ enim diligenter excutiendæ sunt, si pondus tuum iustum habere velis, licet aliqui Batauorum reperiantur, qui vt mercatores Nigritas ad se inuitent & alliciant, absque excussione & ventilatione aurum illud accipiunt.

Postquam igitur Nigritæ isti & Æthiopes viderunt propter aurũ plures quotidie ad littus illud naues appellere & tãtum à Batauis propterea deuorari laborem, cœperunt non solum magni aurum suum æstimare, sed etiam cristas erigere & non parum propterea insolescere, multi enim hodie tam insolentes ibi reperiuntur vt vix aliquem alloquio dignentur, cupientes nimirum omnibus notum fieri, se preciosissimo auro instructos esse & præ aliis abundare, quod quidem etiam Deum Batauorum, per contemptum appellant, cum eos tanto flagrare amore videant, vt posthabito omni labore & molestia, mille sese dummodo eo potiantur, exponere periculis non dubitent. *Fastus Nigritarum & insolentia propter aurum.*

Cap. XXXXVII.

De valore et precio auri, quod in his regionibus reperitur, itemque de multiplici eius deprauatione, & quomodo dolus animadverti atque caveri possit.



Quamvis Nigritæ aurum suum satis magno expendant, & permutent precio, tamen cum videant quam preciosa res sit & quam auide ab omnibus expetatur, acquiescere tali precio non possunt, sed in omnes intenti sunt occasiones & vias, quomodo per fraudes & deprauationem precium eius augeatur, & ex vncia vna vel sescuncia fiat. Aurum igitur illud optimum habetur, quod rude est & nondum liquefactum, arenulas admixtum habens, quæ tamen diligenter excutiendæ sunt, vt aurum probe purgetur. Quod autem differentia quædam vel certi gradus in auro reperiantur, & alterum altero interdum sit præstantius, inde fit, quod vena auri alia aliam generositate superet, Nam & in eadem vena, quo profundius ea perscrutetur & aperiatur, eo aurum deprehenditur magis magisque à præstantia sua discedere & degenerare, præstantissimum enim quodque est quod in superiori parte venæ alicuius reperitur, quod vero profundum magis est, illud propius ad argenti naturam accedit, & cum eo magis est permixtum. *Quodnam aurum optimum.* *Auri differentia vnde.*

Verum quod ad differentiam auri attinet, cum ea non omnibus perscrutatu & scitu necessaria sit, necessarium non esse arbitror, multa hoc loco de valore & precio auri verba facere. Ne tamen silentio hæc plane prætereantur, breuiter sciendum est, auri quod in his regionibus expenditur, præstantiam versari inter 22. & 23. Carata vnius Bessis vel Marcæ quam vulgo vocant, idque de puro & nõdum liquefacto auro, quemadmodum scilicet ex terra illud producitur accipiendum est. Alterum vero quod ex liquefactis armillis, inauribus & aliis eiusmodi clinodiis confusum & commixtum cernitur, aliquanto semper inferius est & minus *Auri valor & precium.*

generoſum. Ingens enim ſæpe deprauatio & dolus huic auro ſubeſt, ita vt aliquot grana ſint de marca detrahenda, quibus à priori non liquefacto ſcilicet ſuperetur.

Auri corrumpendi ſtudium.

Quamuis autem omnes eo ſint animo, vt peregrinos decipere, & aurum corrumpere expetant, potiſsimum tamen hoc vitio qui tenuioris fortunæ ſunt mercatores laborare videntur, Quibus enim nerui ad exercendam mercaturam neceſſarii deſunt, plerunque aſtutiores ſunt & magis fraudulenti, aurumque ſumma celeritate corrumpere & deprauare ſolent, idque ſæpe tam occulte & tecte, vt dolus vix deprehendi & animaduerti poſſit. Sed huius tamen deprauationis cauſa prima à Batauis dependet, quippe qui materiam & inſtrumenta ipſis, quibus ad deprauationes eiuſmodi vtantur, vendiderunt & dederunt, gladium ita in ſuam ipſorum perniciem, Nigritis porrigentes.

Antequam autem deprauationem metuerent, & de dolo quicquam cogitarent Batauí, circumuēti ſæpe ſunt & decepti, Atqui cum fraudem perſentiſcerent tandem & olfacerent, ita Nigritas acceperunt, vt etiamnum hodie pudore confuſi cohorreſcant, ſi tantum mentionem fieri eius audiant, cui pœnas fraudis ſuæ primas dederunt.

Luſitanorū erga corruptores auri rigor.

Sed & Luſitani non parum eis terroris incuſſerunt, feceruntq; vt nemo auderet vel granulum auri corrupti ad caſtellum *de Mina* portare, ſummo enim rigore cum eis proceſſerunt, & nullo perſonarum habito reſpectu in crucem egerunt quotquot vel minimæ fraudis deprehendebantur rei & ſuſpecti. Sic enim aliquando accidit, vt pater Regis de *Comendo* aliique eius legati ad caſtellum *de Mina*, commerciorum cum Luſitanis exercendorum cauſa proficiſcerentur, afferentes ſecum non exiguam auri quantitatem, Verum cum illud corruptum aliquo modo, deprehenderetur, abſq; vlla cunctatione & mora omnes in patibulo ſuſpēſi, & laqueo ſuffocati ſunt.

Lenitas Batauorum.

Eiuſmodi quidem rigorem nondum ab Hollandis experti ſunt, qui pœna leniori contenti, eos hactenus non ſemel dimiſerunt, quod tamen bono Hollandis minime ceſſit, pœnam enim Nigritæ, niſi ſatis grauis ſit, aſpernantur prorſus, & à prauis ſuis machinationibus non abſtinent, ita ſecum cogitantes, ſi fraudem Batauí non animaduertant, bene eſt, ſi vero ea deprehendatur, aurum noſtrum placide amiceque dimiſſi recipiemus.

Nigritæ inter aurum diſcernere facile poſſunt.

Ipſi quidem auri cognitionem egregiam habent, & facile legitimum ab adulterato diſcernere poſſunt, quamuis margaritarum, gemmarum & aliorum precioſorum lapidum, notitiam nullam habeant, rubris tamen coraliis in mari naſcentibus exceptis, quæ in magno apud eos precio exiſtunt. Argentum plus iuſto etiam nouerunt, ad valorem auri minorandum, turpiſſime eo abutentes.

Corruptio craſſa nec tamen ſenſibilis.

Cæterum quomodo aurum liquefaciendum ſit à Luſitanis didicerunt, cumque nullum aurum ſine argenti vel cupri additamento liquari & fundi poſſit, quod alias non cohæreat, & malleum in incude non ferat, quemadmodum illud à Luſitanis edocti vſu quotidiano cognouerunt, ipſi limites additionis huius prætergreſſi, nimis multū cupri vel argenti auro liquefacto permiſcentes, quātitatem eius incredibili fraude augere conati ſunt, Eo enim proceſſerunt audaciæ, vt integras monetas argenteas auro liquefacto immiſcere non dubitarint, vnde integros Regales & thaleros minores Batauí in auro abſconditos aliquando invenerunt,

venerunt, Quæ quidem adulteratio & fraus talis eſt, vt non facile animaduertatur, neque enim lapide Lydio, neque vlla alia ratione, niſi forte ſecuri aurum iſtud diuidatur, dolus in medio abſconditus deprehendi poteſt.

Atque hoc quidem modo aurum ſuum argento & cupro deprauare ſolent, Cum autem quotidiana experientia didiciſſent, Orichalcum huic permiſtioni non conuenire, quod cum aurum eo contineri non poſſit, dolus facile prodatur auro nempe iſto, ſub incudem reuocato, aliam excogitarunt rationem, qua Orichalcum etiam auro immiſcerent, Cum igitur interdum nummis quibuſdam vtantur qui quadratam formam obtinent, magna copia orichalcum eis affundunt, quod dolum in nummis iſtis præſertim recentibus, non facile animaduerti poſſe ſciant; licet tẽporis progreſſu, colorẽ mutantes, dolum etiã prodant & aperiant. *Moneta aurea qua vtuntur, quomodo corrumpatur.*

Sed & aurum arenoſum quod ipſi *Chika Fætu* nominant, Orichalco corrumpere cæperunt, Quamuis enim illud non liquefiat, tamen cum Bataui limas aliquando afferentes, vſum iſtius inſtrumenti ipſis monſtraſſent, Orichalcũ limare & in tenuiſsimũ redigere puluerẽ cœperunt, quem poſtea auro permiſcerent, Et hæc quidẽ corruptio omnium peſſima eſt, quippe quam nemo olfacere & animaduertere facile poſsit. *Corruptio auri tenuioris.*

Quamuis igitur ſumma eorum ſit in corrumpendo & adulterando auro calliditas & aſtutia, multi tamẽ etiam à Batauis modi inuenti ſunt, quibus fraudem facile deprehendant, vt ita circumveniri non niſi incauti poſsint, Nam & ipſimet plerunque dolum certis ſignis aperiunt, & ſeſe velut ſorices ſuo ipſorum indicio produnt, ſi enim male ſibi conſcii ſint, & aurum falſatum afferant, timidi admodum accedunt, & attoniti quaſi negotiationes aggrediuntur, cumque illis peractis Bataui aurum probare volunt, ægre illud ferunt, & ne hoc faciant modis omnibus deprecantur, Quin & colorem in facie mutant, & toto corpore quaſi febri correpti cohorreſcunt, ac tandem rebus ſuis ſumma celeritate confectis, ex naui diſcedere admodum properant, metuentes ſemper ne fraude patefacta male mulctentur. *Quomodo dolus ipſorum deprehendatur.*

CAP. XXXXVIII.

DE VERMIBVS, QVIBVS NON NIGRITAE SOLVM IN HIS regionibus habitantes, ſed etiam peregrini eo proficiſcentes, paſſim torquentur, vnde nimirum exiſtant, cuius formæ ſint, & quomodo curentur.

INAVDITA res eſt, quæ legentibus etiam hæc, non parum mira videbitur, quod in corporibus eorum, qui hoc itinere vtuntur, & in has regiones frequenter nauigant, vermes naſcuntur, præſertim ſi circa Caſtellum *de Mina* frequenter ſeſe contineant. Quod ipſum tamen non ita pridem Batauis innotuit, Cum qui ante aliquot annos nauigationem hanc ſuſceperunt, nihil horum deprehenderint, nihilque de plaga & affectione hac cognitum habuerint. *Bataui vermes in littore de Mina accipiunt.*

Non tamen apud omnes, vermes hi apparent, nec eodem tempore ſeſe exerunt. Quidam enim citius quidam tardius illis torquentur, ſic enim invenias, qui dum in itinere adhuc ſunt eos accipiant, alii

peracto itinere, alii post mensium aliquot, alii post totius anni à reditu suo decursum illis infestantur. Sunt vero etiam quidam ab eis prorsus immunes, etiamsi aliquoties hæc loca frequentarunt.

Qui Nigritarũ huic morbo subiecti.

Nigritæ & Æthiopes ibi habitantes ipsimet etiam illis valde torquentur, potissimum tamen illi, qui Castello *de Mina* sunt viciniores, Nam qui vel ad 25. miliaria tantum septentrionem versus, à Castello hoc remoti sunt, dolores hosce prorsus ignorant.

Quid apud veteres de his vermibus annotatum reperiatur.

Historici veteres multa quidem de hisce vermibus annotata reliquerunt, scribentes inter alia, vermes eos veros esse, & vermium aliorum instar vitam etiam habere, Nihil tamen de origine & causis eorum afferunt, vnde nimirum in corporibus hominum existant, & vnde nutriantur, Quod quidem argumento est, veram eos causam æque ac nos ignorasse, Cum verisimile sit, eos si veri aliquid hac de re cognitum habuissent, illud posteris etiam communicaturos fuisse. Nam & Græci & Æthiopici scriptores eorum mentionem facientes, incolas quidem huius loci valde ab eis torqueri affirmant, sed circa causarum & propagationis eorum inquisitionem, vel piscibus magis muti deprehenduntur.

An sint veri & viventes vermes.

Quin imo non paucos inuenias Doctores, qui probare conantur, nec vermes eos veros esse, nec vitam habere, qui quotidiana quidem experientia satis refutantur, ex qua manifestum est veros, naturales & perfectos eos vermes esse, & vitam vere obtinere.

Sed & hoc admiratione dignum est, hanc solam regionem, cum paucis adhuc aliis, quarum *Iohannes Hugo* meminit in itinerario suo, huic malo subiectam & expositam esse, Aliæ enim Insulæ omnes in India Orientali & Occidentali, quemadmodum etiam in China, Bresilia, & alibi sitæ, vermes hosce prorsus ignorant, & quod magis mireris, ipsam etiam S. Thomæ inhabitantes insulam, qui locus tamen omnium in toto mundo insaluberrimus habetur, de hoc morbi genere nihil quicquam nouerunt.

Causa huius mali varia.

Quod attinet ad causas vnde nimirum hi vermes in humanis corporibus nascantur, Nigritæ quidem varias afferunt, sed nullam vere confirmare possunt, Quidam enim prouenire eos dicunt ex nimia cum mulieribus familiaritate & consuetudine, Alii dicunt ex certis quibusdam piscibus, quorum quotidianus ibi vsus est, eos oriri, vnde reperiuntur qui piscibus in vniuersum omnibus, qui istis quidem in locis capiantur, abstinent, Alii ex nimio aquæ vsu eos procreari afferunt, nempe ex natando & potando; Alii terram ipsam incusant, Alii vino de Palma causam imputant, sed & panes quos *Kankiens* vocant, aliqui hoc nomine accusant, vt vere hic dicere possis, quot capita tot sensus, quilibet enim peculiarem sibi causam fingit, eamq; cæteris omnibus præfert, & præ aliis tuetur, cum nemo tamen sit, qui rationes sententiæ suæ vel in speciem probabiles afferre possit.

Causarum refutatio.

Certum enim est causas hasce nullas esse, nec vllam etiam veram causam dari posse, cum contrarium sæpe acciderit, Deprehensum enim est aliquos quibus cũ Nigritis mulieribus nulla intercessit familiaritas, qui à piscibus, panibus, vino palmarum aquisque marinis plane abstinuerunt, lauando sese non oblectarunt, nec pedem etiam ex naui in terram posuerunt, plus tamen à vermibus hisce doloris perpessos esse, quam qui cum mulieribus crebro conuersantes, pisces panesque eorum comederunt,

runt, vino palmarum sese ingurgitarunt, denique & in terra & in aquis sese frequenter oblectarunt.

Præsumitur tamen omnium maxime, ex aqua potabili eos progenerari quæ à Nigritis redimitur, qui eam ex lacunis & stagnis suis haurire & afferre solent, Et sane si rem altius perpendere velimus, videbitur quidem hanc verissimam eorum causam esse, Nam & in Insula quæ *Ormus* dicitur, & huic malo etiam subiecta est, qui à vermibus tuti esse volunt aquam dulcem quam bibant, ad 18. sæpe orgyas sub aqua salsa existentem, mergorum beneficio ex mari extrahi curant. *Causa verisimilior.*

Verum quidem est, quosdam hoc malo non infectos esse, qui multum tamen aquæ illius biberunt, sed hi nauibus suis in portu *Ackræ* ciuitatis substiterunt, & in portum *Mourre* ciuitatis venerunt, vbi potissimum malum hoc vires suas exercet. Nam qui ad *Ackram* ciuitatem & loca vlteriora commercia sua exercent, raro hoc morbo corripiuntur, quemadmodum etiam Nigritæ in hac ciuitate habitantes parum vel nihil de eo cognitum & perspectum habent, cum econtra qui ad *Mourram* negotiationibus operam dare solent, malum hoc euadere vix possint: Nihil tamen certi, vt vt sit, hic definire de causa huius mali volumus, litem sub iudice relinquentes:

Qui illis corripiuntur dolorem percipiunt incredibilem, Quidam enim nec stare nec incedere, quidam vero nec sedere nec decũbere possunt, Aliqui quasi exanimes iacent, quidam in furorem aguntur, & vt vinculis tempestiue constringantur necesse est. *Dolor intolerabilis.*

Sed & variis sese modis exerunt & ostendunt, Quidam enim cum ingenti frigore & horrore, quidam cum ingenti æstu & calore præsentiam vermis alicuius deprehendunt, quidam cum eo cõflictantur, antequam id ipsum sentiãt, sic vermes ipsi sese in aliquibus per exiguam pustulam, apud alios per puncturas rubentes, & pulicum vestigia æmulantes, ostendunt, In quibusdam cum ingenti tumore coniuncti sunt, vt sub cute latentes cernere exacte possis, apud alios per vlcera & carbunculos erumpunt. *Modus sese ostendendi varius.*

Præterea in diuersis etiam locis apparent, nempe in suris & pedibus, in genibus & poplite, in crure, in brachio, in femore, in inguine & scroto, plerunque tamen in partibus carnosis, Intensissimum autem dolorem experiuntur, qui eos in partibus occultis accipiunt, neq; enim vllo in loco alio dolor ab illis magis exquisitus & vehemens deprehẽditur. *Quæ loca corporis vermibus infestentur.*

Iam quod ad curationem attinet, non est quidem necesse, vt antequam appareant, remedia eis adhibeantur, sed quamprimum in corpore animaduertuntur, necessarium est, vt à labore quis abstineat & ad quietem se componat, idque potissimum si pedes eo infestentur, tunc enim motus crebrior perniciosissimus, quies vero gratissima est, & frigus diligenter caueri debet, quo enim quis magis quieti & calori studet, eo curationem magis promouet, & citius hoc malo liberatur, Neque vero etiam promotione alia, vtpote cutis apertione sectionibus & aliis opus est, ipsimet enim exitum sibi quærunt, & caput perforata cute exerunt. *Curatio vermium.*

Cæterum cum eo vsque peruenerunt vt apprehendi digitis possint, paulatim extrahendi sunt, donec sequantur, cauendum autem est ne nimis eos vrgeas, vbi enim subsistunt, respirãdum est, & à vellicatione protractioneq; abstinendũ, donec ipsi sese rursus mouere incipiant, interim *Exitus vermium quomodo promovendus.*

vero

vero pars illa quæ extra cutem prominet, diligenter vel baculo implicanda, vel alliganda est, ne remeando, corpori sese rursus insinuet. Quoties autem exitus ita promouetur, toties copiosa tabi & puris materia simul excernitur, promotio vero hæc singulis diebus tẽtanda atque reiteranda est, donec prorsus extrahantur, interim tamen videndum ne abrumpãtur antequam exitum invenerint; veneno enim constant præsentissimo & nocentissimo, quo infectum vulnus ita intumescit, vt in magno versari ægrotum periculo necesse sit.

Non raro autem accidit, vt vno extracto, alius statim ei succedat, & per idem foramen exitum sibi quærat. Quin etiam alii pluribus, alii paucioribus torquentur. Quosdam enim invenias, qui decem vel duodecim vermes simul & semel ex diuersis corporis partibus prominentes habeant, qui quantum inde percipiant doloris, quilibet æstimare facilime potest.

Quantitas horum vermium.

Ad quantitatem eorum quod attinet, ea quidem non vniusmodi est, Quidam enim inveniuntur vel orgyam vnam in longitudine excedentes, alii vero breuiores sunt, Quidam crassitie sua fides crassiores æmulantur, alii vero vix minores in testudine. quin imo vix tenuiora bombycina vel lintea fila assequuntur, & attingunt.

Remedia Nigritarum contra vermes.

Nigritæ quidem remedia illis nulla adhibent, sed exitum ipsis liberum relinquunt, quo absoluto vulnera sola aqua marina eluunt, quam illis admodum conuenire affirmant. Vt autem in pauca contraham, dolor hic tantus est, vt quis hoc iter abiurare, & locum hunc in perpetuum vitare deberet potius quam cruciatum ab vno tantum horum vermium persentiscere & experiri.

Testimonia Autorum quorundam de his vermibus.

Iohannes Hugo Lindschottanus, de his vermibus in Itinerario suo scribit, morborum omnium maxime detestandum, ab his vermibus existere, qui cruciatus exquisitissimos gignant, homines in Insula quæ *Ormus* vocatur infestent, & ab aqua quam bibant ortum suum habeant. Alsaharanius vero quidam in praxi sua cap. 11. de his vermibus ita scribit: Reperiuntur loca quædam, vbi in humanis corporibus vermes nascuntur, quam aliqui passionem bouinam nominant, eo quod boues eiusmodi morbis plerunque obnoxii deprehendantur, vermes enim intra carnem & cutem nascentes sese extendunt & tamdiu oberrantes serpunt, donec perforata cute exitum inveniant. Curatio autem consistit in purgatione & excretione abundantis pituitæ siue phlegmatis. Vulnera post vermium eruptionem, butyro recenti, cui salis nihil admixtum sit, inungenda sunt, quo dolor quidem lenitur, & sanitas mirabiliter promouetur.

Cap. XXXXIX.

DE SALE QVOD IBI CONFICITVR, QVOMODO NIMIrum coquatur, & quales eo negotiationes exerceantur.

Salis candor.



SAL quod ibi paratur candidissimum est & pulcherrimum, ita vt qui illud non nouerunt, Saccharum esse affirmẽt, cum præsertim sportis etiam eiusmodi infusum exsiccetur, vt formam Sacchari, pilei instar acuminati referat, & instar Sacchari etiam induratum, radi possit. Magna autem copia cibis affunditur,

ditur, Cum illis bene ſalſis libentiſſime veſcantur, Interim vero foliis virentibus inuoluitur, ne candor eius feruore ſolis immutatus pereat.

Commercia eo bona faciunt, vehentes nimirum illud ex vna ciuitate in aliam, & magna copia diuendentes. Optimum vero quodque in *Anta* & *Chinka* paratur, itaque etiam incolæ horum locorum, ob ſalis præſtantiam, paſſim celebres ſunt. Coquitur potiſſimum menſibus Ianuario, Decembri & Nouembri, quibus tanta copia conficitur, vt ad totum ſufficere annum poſſit. *Sal optimum vbi paretur.*

Exiguo autem illud labore parare ſolent, cum ſua ſponte candorem & albedinem iſtam contrahat, & vna coctione perfici poſsit. Præſtantia vero & bonitate tanta eſt, vt noſtro ſali, quantumuis maximo labore parato, non facile cedat, ſed æſtum ſolis nimium ferre & ſuſtinere non valet.

CAP. L.

DE LVSITANORVM IN INQVIRENDA ET ACQVIRENda hac regione calliditate, quomodo nimirum hoc regnum exploratum ſibi ſubiecerint, & quanta crudelitate erga Nigritas & alios commercia ſua ibi exercentes vſi ſint.

QVANTVM ex hiſtoriis & relationibus hominum fide digniſſimorum colligi poteſt, Inſula quidem *S. Thomæ* omnium prima fuit, quam Luſitani apertam occuparunt, Eam enim iam ante poſſederunt, quam ad continentem Africę, & ita etiam ad regnum *Guineæ* peruenirent. Poſtquam autem perluſtrato hoc regno, animaduerterent terram eſſe bonam, & regionem etiam exercendis commerciis conuenientiſſimam, vtpote cuius incolæ rebus neceſſariis fere omnibus carerent, quas ipſi ſine vllo labore transuchere ad has terras magna copia poſſent, abundarent vero contra rebus precioſiſsimis, maxime tamen auro quod omnium votis expeteretur, operam dederunt, vt ex Nigritis quidem, qui tum temporis beluarum inſtar à conſpectu peregrinorum ſeſe occultabant, expiſcari & explorare poſſent, quæ loca regionis iſtius fertiliſsima eſſent, & quæ merces populo futuræ eſſent acceptiſsimæ, vt ita rem facere & lucrari aliquid in regionibus iſtis poſſent. *Inſula S. Thomæ primo à Luſitanis inuenta.*

Exploratis autem omnibus, quæ ad propoſitum ſuum facere videbantur, ad Inſulam S. Thomæ reuerſi ſunt, referentes Gubernatori iſtius Inſulæ, omnia quæ viderant & à Nigritis cognouerant, qui quidem non quieuit donec paratas, & populo, commeatu, tormentis armiſque neceſſariis inſtructas naues aliquot, ad portum *La Mina* ablegaret, vt cum populo iſto contraherent, & amicitiam aliquam inchoarent.

Has naues incolæ quidem magna lætitia exceperunt, quibus quidem hæc familiaritas eo nomine gratiſsima erat, quod populum iſtum amice & placide ſecum contrahere cernerent, Fiſtulam enim tum Luſitani habebant dulce canentem, donec quod in animo habebant, obtinerent & capta volucri propoſitum ſuum in actum producerent. *Luſitanorum in expugnandis Æthiopum animis aſtutia.*

Æthiopes igitur hi videntes, quantis ab hoc populo afficerentur beneficiis, & quam amice honorificeq; in nauibus ipſorum acciperentur,

deposita paulatim feritate sua, mitescere & amore eos prosequi indies maiori cœperunt, regionem suam omnem ipsis peruiam facientes, & permittentes, vt domum quandam in loco, qui suis negotiationibus aptissimus ipsis videbatur, extruerent, qui vero hoc spectabant vnice, vt semel admissi, vires suas indies magis magisque confirmarent, donec vel totam regionem sibi subiectam facerent, & incolas omnes subiugatos quasi, imperio & potestati suæ subiicerent.

Lusitani potestatem accipiunt Castellum in his regionibus extruendi.

Cum autem Æthiopes ab initio non statim intelligere & subolfacere possent, quo fine domum ibi aliquam extruere peterent, facile petentibus assensum præbuerunt, commoti nimirum tot splendidissimis promissionibus, quæ ab ipsis quotidie proficiscebantur, afferentibus scilicet subinde varia munera Regibus eius loci, quibus ingenium & natura Lusitanorum nondum erat cognita aut perspecta.

Post multas igitur & varias regionis huius explorationes, cum animaduertissent probe, quo in loco castellum vel propugnaculum extrui posset, quod ad supprimendos incolas, & tyrannidem suam exercendam quam optime faceret, tandem opus aggressi, cœperunt domum aliquam extruere, quam inhabitarent, idque in tali loco, quo cupiditatibus suis explendis, nullus aptior & conuenientior esset. Cum igitur aliquot ex Lusitania naues, lapidibus cæmento variisque instrumentis quibus ad ædificandum opus haberent, onustas, accepissent, principio quidem humilem tantum domum ædificarunt, sed progressu temporis eam mirum in modum amplificarunt & extenderunt, nominantes eam *La Mina*, Atque huius quidem castelli beneficio, progressu temporis Domini totius fere regionis facti sunt, cum non solum agrum excolere & suis commodis aptum facere, verum etiam, incolas varia multarum rerum cognitione instruere & informare cœpissent, Qui omne fere quicquid habent hodie & norunt, ipsis acceptum referre coguntur.

Castelli La Mina extructio.

Cæterum cum animaduerterent vnum hoc castellum non satis fore explendo suo desiderio, diffidentes nimirum ex hoc vnico castello totam debellare regionem, eamque sibi reddere subiectam, occupato castro *Achombene*, quod tribus tantum miliaribus à promontorio *De Tres punctas* abest, nouo illud castello firmare conati sunt, quod hodie *Aziem* vocant, sed & tertium hisce adiecerunt, intermedium scilicet inter dictum promontorium, & Castellum seu propugnaculum *La Mina*, in ripa fluminis à S. Georgio denominati, non procul à Castra *Anta*, quod quidem Castellum hodie *Cama* plerunque dicitur.

Castellum Aziem.

Castellum Cama.

Hunc vero locum propterea elegerunt, quod eum rebus omnibus quæ ad sustentationem vitæ nostræ facere possunt, vtpote gallinis, ouibus & capris, Oryza, Milio, tritico & frumento alio quod Bataui *Grain* vocant, calamis item sacchari & aliis rebus necessariis, abundare viderent, Cui & hoc accessit, quod piscoso flumine locus iste celebris esset, vnde toti regioni de piscibus prospiceretur, & tributum colligeretur non exiguum, cui quidem accipiendo & à piscatoribus exigendo Lusitani iam aliquot nauigia *Almadias* Hispani nominant, destinarunt, quibus ab vno loco in alium traiicere & ita tributum conquirere pro libitu possint.

His tamen nondum acquiescentes, noctes diesq; id agebant, vt imperiũ suum promouere magis magisq; & cõfirmare possent, progressi igitur

ex vno

ex vno loco in alium, commercia sua passim exercebant, Cumq; ad pagum quendam qui Nigritis *Ackra* dicitur, & 20. miliaribus Gallicis à Castello *La Mina* abest, venissent, vidissentque locum esse commodum, & auro abundantem, adlaborarunt sedulo vt & ipsum sibi subiicerent, multis igitur nauigiis eo delati, castellum ibi moliri etiam inuitis incolis cœperunt.

Castellum in Ackra invitis Nigritis extrui-tur.

Verum cum imperiose ibi omnia facere, tumultuari, incolas male mulctare & tyrannidem suam exercere non dubitarent etiam, antequam castellum illud perfectum & munitum satis esset, Nigritæque viderent pisces, quos magno labore in mari cepissent, per vim sibi tributi nomine eripi, & multa tyrannice ab ipsis fieri, cœperunt consultare, quomodo seruitutis iugo excusso, eos castello exturbarent, seque in libertatem pristinam assererent, Adiuti igitur paganorum quorundam mercatorum qui in locis à mari remotioribus habitant opera, sub prætextu exercendæ mercaturæ, ad castellum profecti sunt, cumque intromitterentur, & vero Lusitani nihil proditionis metuerent, facto derepente in eos impetu, castellum occuparunt, Lusitanis omnibus oppressis & trucidatis, Quo facto castellum euertere, muros demoliri, & funditus eruere quæ extructa erant omnia non cessarunt, vnde vel hodierno adhuc die rudera propugnaculi subuersi, ibi cernuntur.

Castellum in Ackra à Nigritis everti-tur.

Cum igitur Lusitani qui in aliis erant castelis, vidissent, Nigritas trucidato populo suo castellum in *Ackra* subuertisse, in omnes intenti rationes fuerunt, quomodo eos reconciliatos, humanitate fictaque beneuolentia expugnarent, instructis itaque nauiculis aliquot ex Castello *La Mina* negotiationes in *Ackra* renouatum, & incolas illos rursus placatum descenderunt. Qui vero eos in terram admittere nullo modo volebant, Itaque in mari subsistere, & aduentantes scaphis suis mercatores, præstolari coacti sunt.

Lusitani Nigritas reconciliare nituntur.

Interea Galli qui aliquandiu in littore granorum de *Manigette* hærentes, cum Æthiopibus commercia exercuerant, ad littus auriferum *Guineæ* progressi sunt, cumque animaduerterent Lusitanos insignem ibi demetere fructum, hinc inde oberrantes quæsiuerunt an & ipsi commodum aliquod inde reportare possent. Verum nemo ex Nigritis erat qui cum ipsis contrahere auderet, metu nimirum Lusitanorum, ne scilicet eos offenderent, qui id ipsis serio interdixerant, Ad *Ackram* vero tandem delati, Nigritis grati & accepti fuerunt, qui etiam commercia cum eis exercere non dubitarunt, cum hostes Lusitanorum essent. Sic igitur Ackrenses primi fuerunt, qui à Lusitanis deficientes, aliorum populorum, vtpote Gallorum commercia acceptarunt.

Galli cum quibus primum negociari inceperint.

At Lusitani, qui Dominos sese Regionis istius ipsimet fecerant, & iam imperii sui fines proferre atq; extendere summo studio nitebantur, cum hoc vidissent, mandatum Nigritis dederunt, ne cum vlla alia gente quicquam vel contraherent vel commercii haberent, In vincula aliquoties coniicientes eos qui secus fecissent. At vero Nigritæ imperium hoc aspernantes à commerciis istis non modo non abstinebant, sed indies familiaritatem cum Gallis maiorem contrahebant, nominantes eos *Borsochanga*, propterea, quod aliquanto minoris bona sua venderent, quam Lusitani, & quod tolerabiliori precio quæ vellent ab ipsis accipere possent. Exacerbati igitur & accensi odio Lusitani, duas triremes instruxerunt, & noctu per vniuersum fere littus vagantes, scaphas Nigri-

Lusitani Nigritas à commerciis Gallorum retrahere conantur.

tarum quotquot inuenire poterant, destruxerunt, parum tamen hoc suo furore proficientes, Nigritis scaphas alias parantibus, Gallis vero libere accedentibus & recedentibus, commodumque non exiguum inde reportantibus.

Lusitani Gallis resistunt. Cum igitur viderent Lusitani se hoc modo nihil proficere, & Nigritas à Gallorum commerciis absterrere & auocare non posse, consilium ceperunt, quomodo Gallis vel portum præcluderent, vel nauibus & bonis suis omnibus eos priuarent, Euocatas igitur ex Lusitania duas ingentis magnitudinis triremes, portum regni *Guineæ* Gallis præcludere conati sunt. Et vero conatus hic non plane irritus fuit, nuper enim adhuc nauem quandam Gallicam ex *Diepena* venientem, cui nomen *Esperanse* vel Spei erat, tormentis maioribus perforatam suffocarunt, maxima quidem parte hominum in aquis submersa, residuo vero comprehenso & ad triremes damnato. Accidit hoc ante annos plus minus 18. Et hodierno adhuc die aliqui de hac naui in castello *La Mina* reperiuntur.

Eandem vero fortunam etiam naues aliæ ab his triremibus expertæ sunt, Nam & in promontorio quod *Cabo Corso* vulgo vocant, & ad *Berquin* aliquot naues oppresserunt, quæ clades cum nuper admodum Gallis acciderit, fit vt subinde aliqui ex captiuis ad naues Batauorum confugiant, atque ita captiuitate se liberari petant. Cum igitur barbaram hanc *Galli littus hoc deserere coguntur.* & nefandam Lusitanorum crudelitatem Galli aliquoties essent experti, temperare sibi & abstinere ab hoc itinere, quam tantis sese obiectare periculis maluerunt. Itaque iam Littus hoc à Gallis plane desertum & vacuum cernitur.

CAP. LI.

DE CAPITALI ODIO LVSITANORVM IN CASTELLO LA Mina *habitantium, quo omnes gentes, sine peculiari Regis in Hispania consensu & permissu commercia in his regionibus exercere volentes maxime tamen Batavos & Belgas prosequuntur.*



CVM Lusitani à commerciis Gallorum Æthiopes auocare nullo modo possent, qui omnibus & comminationibus & inhibitionibus eorum posthabitis, in proposito suo pergere, & commercia cum Gallis indies maiora exercere non cessarent, mutato consilio, id egerunt, vt Gallos accessu prorsus arcerent, atque ita illis non amplius aduenientibus, commercia ista caderent ipsis *Consilia Lusitanorum aduersus omnes nationes.* solis commodo & lucro omni perfruentibus. Non autem aduersus Gallos tantum hæc directa fuere consilia, omnes enim mercatores cuiuscunque etiam nationis essent, vi summa ab isto littore prohibere, & omnibus modis persequi constituerunt, nemini parcentes, cuiuscunque vel nationis, vel conditionis, dignitatis & fortunæ essent.

Galli suppressi. Facto igitur à Gallis initio, eos aliquoties ita exceperunt, vt tandem furori ipsorum cedere, & ab itinere hoc abstinere cogerentur, cum expugnatis ipsorum nauibus, miserum in modum eos affligerent, & in captiuos sæuirent.

Lusitani ipsi ab hoc littore arcentur. A Gallis ad propriam suam nationem descenderunt. Erant enim in Lusitania aliqui, qui perspecto huius nauigationis commodo, ipsi etiam eam

eam instituere cœperunt, sed sine tamen consensu & permissu Hispanorum Regis peculiari. Cum igitur ad loca quædam venirent, quæ commodis Lusitanorum *de Mina* commercia ibi sua exercentium, seruirent; atque ita ab illis viderentur, ipsi triremes statim suas ad locum istum destinarunt, Verum cum Lusitani ante triremium aduentum, peracta negotiatione sese expediuissent, & periculum ita effugissent, facta diligenti inquisitione, ex Nigritis, & nauis ipsius & nautæ præfectique nomina cognouerunt, & ablegata statim celoce, rem omnem ad Vice Regem detulerunt, qui nauim istam diligenter obseruari, & quamprimum adueniret detineri præcepit. Cum igitur ventis tandem secundis portum assecuta, domum rediret, de mandato statim Regis, omnes qui in naui erant, captiui abducti & ad mortem condemnati sunt, naui ipsa cum bonis omnibus fisco Regio applicata, idque nullam ob causam aliam, quam quod absque consensu & permissu Regio, nauigationem hanc instituissent & in Guineæ littore mercaturã exercere ausi fuissent. *Navis Lusitanica confiscatur.*

Non diu est, cum Barca quædam vel nauis Hispanica ex loco quodam quem *Port à Port* vocant, ad alium *Rio d' Ardea* dictum, nauigare volens, in piratas incidit, Hæc igitur ad Castellum *de Mina* appellens, vires colligere, & de aqua dulci aliisque ad cœptum hoc iter absoluendum necessariis rebus sibi prospicere expetebat. Verum cum nauis hæc, licet Barca Hispanica esset, priuilegio tamen regio de portu hoc adnauigando careret, à Gubernatore Castelli *de Mina* potestatem adnauigandi impetrare non potuit. Quin imo hoc ab ipso qui in ea erant accipiebant responsi, si captiuitatem euitare vellent, littus non legerent, impune enim se illud non habiturum, Itaque sine vlla refectione inde discedere, & cæptum iter continuare coacti sunt. *Navis Hispanica portu La Mina arcetur.*

Quod si igitur tanta erga suam nationem sunt crudelitate & inhumanitate, & quidem in re tam leui, quæ nihil præter commeatum concernit, quis mirabitur tam immanes eos esse, & tam insatiabilem exercere sæuitiam erga gentes alias; quarum hostes sunt prorsus abiurati? quemadmodum præ cæteris quidem Batavi sunt, quibus molesti esse & modis omnibus insidiari non dubitant.

Nam vt in describendo Lusitanorum odio, ad Batauos tandem perueniamus, ipsi quidem notitiam huius littoris à quodam *Bernhardo Ericksen Medenbliccensi* acceperunt. Hic enim regionem hanc primus inuenit & perscrutatus est, cum captiuus quidem in Insula *Del Principe* à Lusitanis teneretur, vbi etiam cognouerat, quomodo Galli locum istum deseruissent, & crudelitate Lusitanorum victi, à nauigatione ista iam abstinerent. Liberatus igitur captiuitate sua & in Batauiam iterum reuersus, commodum huius regionis quibusdam aperuit mercatoribus, qui fidem ei habentes, instructa statim naui, impetrarunt ab eo, vt periculum faceret, & iter hoc aliis præmonstraret, quod ipsum quidem etiam lubens præstitit, qui cum patefacto vniuerso littore, saluus domum reuersus sit, atque ita glaciem quasi primus perfregerit, honore inuenti & aperti huius littoris priuandus non est. *Batavi quo Autore notitiam huius littoris acceperint.*

Lusitani igitur videntes littus hoc Batauis innotuisse, & Gallis magno labore vix depulsis Hollandos iã succedere à quibus plus damni expectandũ esset, cum nauibus vterentur & longe maiorib⁹, & populo, rebusq; necessariis aliis multo Gallicanis nauibus instructioribus valde sibi metuere cœperunt, præsertim cũ triremes suas non modo nauibus hisce *Lusitani adventu Batavorum perterresiunt.*

 præualere,

prævalere, ſed nec ſubſiſtere aduerſus eas poſſe cernerent. Cogitare igitur cæperunt quomodo conatibus hiſce Batauorum ſibi admodum pernicioſis, irent obuiam, cumque aperta vi naues arcere non poſſent, ad fraudes doloſque conuerſi, Æthiopes paſſim, vbi Batauos mercaturam exercere videbant, in eorum perniciem excitarunt, multis eos mendaciis peruertentes, Dicebant enim Batauos proditores eſſe, & hoſtes Regis ſui, veniſſe vero non tam mercaturam exercendi, quam regionem explorandi gratia, & vt occupata regione ipſos captiuos partim abducerent, partim in ſeruitutem perpetuam redigerent.

Luſitanorum adverſus Batavos techna varia.

Hæc & alia falſo inter Nigritas de Batauis ſpargentes, multa ſimul munera ipſis deferebant, vt per proditionem vel ipſi Batauos opprimerent, vel in manus Luſitanorum traderent, Centum florenorum precium à Gubernatore ſuo eum accepturum aſſerentes, qui vel vnicum ex nauibus iſtis comprehenſum Gubernatori caſtelli *de Mina*, offerret. His igitur technis, mendaciis nempe & pollicitationibus ſplendidis animos Nigritarum fere expugnarunt, ita vt non ſolum decipere Batauos & circumuenire, ſed etiam vitæ & fortunis ipſorum inſidiari modis omnibus ab initio tentarent.

Verum cum non pauci ad naues Batauorum quotidie venientes contrahere cum ipſis, commerciaque exercere varia inciperent, cognouere facile, mendaciis eos prægrauatos eſſe, quippe qui longe alio eſſent animo quam Luſitani de ipſis per calumniam falſo retuliſſent. Itaq; ſummam eorum humanitatem apud alios prædicantes, plures ſubinde ſecum adduxerunt, effeceruntque vt familiaritas Nigritarum cum Batauis hodie maior ſit, quam vnquam cum Luſitanis fuit.

Interea vero cum Gubernatores caſtelli *de Mina* viderent, commercia hæc inter Nigritas & Batauos indies maiora fieri, & multum inde damni ad ſe deriuari, quamuis mendaciis & calumniis parum vel nihil proficerent, non tamen ceſſarunt dies noctesq; cogitare quomodo ipſis incommodarent. Et promiſſis quidem ſplendidis, non ſemel apud Nigritas obtinuerunt, vt damnum ipſis inferrent, quemadmodum circa promontorium quod *Cabo Corco* vocant, aliquando factum meminimus, vbi *Simonem* quendam *Taye* qui ibi commerciorum gratia ſubſiſtebat, ingenioſa fallacia, aliquot ſociis priuarunt, Dicebant enim Regem huius promontorii in propria perſona nauem Batauorum aſcendere, & perluſtrari decreuiſſe, Itaque Nauclerus, vt Regem eo melius acciperet, doli nihil ſubeſſe ratus, ſcapham ſuam maiorem cum ſociis aliquot ad littus miſit, qui Regem ibi præſtolarentur, venientem exciperent, & ſecum ad nauem perducerent, ſperans negotiationes ſuas aduentu Regis mirifice promotum iri.

Æthiopes aliquot Batavos produnt.

Paulo poſt Æthiopes multis nauiculis ſuis, ad ſcapham Batauorum appropinquare viſi ſunt, cantantes, ludentes & plaudentes, non ſecus ac ſi Regem ſuum ſecum haberent, Verum euentus fallaciam aperuit, quã primum enim ſcapham Batauorum aſſequerentur, ſummo in eam proruentes impetu, omnes ex improuiſo oppreſſos trucidarunt, vno atque altero exceptis, qui ſumma dexteritate ex manibus ipſorum cum ſcapha elapſi, mortiſque periculo euitato ad naues Batauorum reuerſi ſunt.

Proditio Nigritarum Batavis aliquot intentata.

Hæc vero proditio ex inſtinctu Luſitanorum *de Mina* facta fuerat, qui cum nec hoc modo rem ſuccedere feliciter cernerent, iam rationem

nem Nigritas docere cœperunt, qua aurum adulterarent, & malum pro bono Batauis obtruderent; sperantes, se vel hac ratione effecturos, vt commerciorum huiusmodi propter dolum Nigritarum multiplicem pertæsi, tandem à littore hoc abstinerent, sed nec hac ratione res ex animi sententia successit, Bataui enim dolum subolfacere statim cœperunt, & aurum maiori studio imposterum explorantes facile euitarunt, sed & *Matthæus* quidam *Cornelius* nauium quarundam præfectus, ita Nigritas ob adulteratum & vitiatum aurum corripuit, vt non modo ab impostura hac imposterum abstinere cœperint; sed etiamnum hodie ad mentionem nominis eius exhorrescant.

Æthiopes instinctu Lusitanorum, aurũ adulterare incipiunt.

Sed & quendam ex Nigritis *Voetien* dictum, qui mercator habebatur celeberrimus, & propter consuetudinem nimiam, commerciaque quæ exercebat quotidie, Batauis familiarissimus erat & gratissimus, oblata certa auri summa Gubernator castelli *de Mina* induxit, vt per proditionem aliquot Batauos Lusitanis se traditurum reciperet.

Proditio auro impetrata & redempta.

Hærebat tum in littore isto scapha quædam maioris capacitatis, quales sunt quas Onerariæ naues quasi asseclas secum trahere solent, Hanc ingressi proditores Nigritæ, amice Batauos salutabant, & varia locuti, versari dicebant non procul à littore ceruos aliquos & feras alias quas sclopo perimere facilimum foret, Itaque Bataui cupiditate ceruorum accensi, tres statim ex societate sua in terram deponunt vt feris illis insidiarentur.

Interim Nigritæ summam simulantes beneuolentiam & amice admodum cum Batauis confabulantes adeo securos eos reddebant, vt etiam funiculos fumigantes quorum in displodendis sclopis vsus est extinguerent, quippe nihil proditionis ne per somnium quidem metuentes, Occasionem igitur hanc proditioni suæ maxime inseruientem, non esse negligendam rati, vnanimi in eos impetu facto, omnes in scapha opprimunt, quosdam secum ex scapha in aquam protrahentes; quosdam vero vulnerantes, & interficientes, Et hoc quidem tumultu omnes tum trucidati fuissent, nisi faber quidam lignarius, qui in trabe quadam dissecanda occupatus forte fuerat, ipsis auxilio venisset, Is enim securi sua instructus accurrit tumultuantesque Nigritas feriens grauiter læsit, ossa & costas eorum rimatus, ita vt semianimes quidam conciderent. Itaque hoc viso exanimati cæteri ex scapha desilientes, per medias vndas natando euaserunt.

Quamuis autem Dei beneficio scapham tum adhuc conseruarint, & ad nauim cui seruiebat reduxerint qui superstites essent illæsi, illi tamen qui ceruos venatum in terram descenderant, comprehensi & ad castellum *La Mina* viui perducti sunt, vbi in summa inopia vitam eos agere miserrimam, certissimum est. Qui enim in Castello *de Mina* vel alibi habitant Lusitani, nullos captiuos morti adiudicare & supplicio afficere possunt, sine peculiari consensu & permissu Magistratus Lusitaniæ, nisi forte captiuus aliquis, captiuitate sese liberaturus, fugam arripiat, is enim si rursus apprehendatur, tormento maiori insertus per explosionem interficitur, quod quidem supplicii genus non ita pridem Gallus quidam, qui captiuitatem effugiens iterum comprehendebatur, expertus est.

Lusitani in Castello de Mina non habent ius supplicij in captivos.

Sed vnum adhuc malitię & crudelitatis ipsorum exemplum hic commemorare libet, quod Anno 1599. statuerũt in 5. Batauos, qui scapha sua

pagum

pagum *Mourre* petituri, castellum *de Mina* transire coacti sunt, cum enim sub ipso iam propugnaculo veherentur, ingens tranquillitas facta est, vt progredi nullo modo valentes, contra voluntatem suam moras ibi nectere cogerentur. Itaque Gubernator Castelli *de Mina* hoc videns, aliquot statim Nigritas emisit, qui superata & expugnata scapha, Batauos omnes, hastis & sagittis misere confectos, & funi alligatos, in mare præcipitarunt, perq; medias vndas raptatos cum in terram adduxissent, resecta ceruicibus capita Gubernatori obtulerunt, corporibus in littore relictis. Nec tamen hac crudelitate contenti fuerunt, sed amplius progresi, capitibus in aheno elixatis, decoctum quidem, vt ferale suum odium, aliquo modo explerent, potando consumpserunt, sceleta vero siue ossa, palis affixa præ foribus castelli in contemptum Batauorum posuerunt. Quin & ex craniis horum Batauorum pocula tum fecisse dicebantur, quorum inter bibendum vsus esset.

Factum crudele & abominandum.

Cæterum hac victoriola erecti aliquo modo, spiritum sumpserunt, & post dies pauculos, in Ianuario nempe Anni 1600. nocturno tempore aliquot Cymbis suis, beneficio Nigritarum aduecti scapham Batauorum aliam oppressum & expugnatum venerunt, Atqui ab illis cum appropinquassent, ita accepti sunt, vt optarint se ex Castello suo pedem nunquam extulisse, Aderant enim in conflictu hoc viri præstantes & illustres personæ aliquot, quibus misere contrucidatis & peremptis, fastus eorum ita repressus est, vt redire imposterum & noui aliquid moliri amplius iam non audeant.

Fastus Lusitanorum reprimitur.

Quod vero clandestinas attinet insidias, rudentes quidem & funes nauibus nocturno tempore abscindere, & alia quæuis tentare non dubitarunt, quo damnum saltem Batauis aliquod inferrent, quos cane peius & angue hactenus semper oderunt, quamuis haud raro etiam consilia ipsorum, ab omnipotētia & benignitate diuina irrita facta sunt. Cum vero iam vires eorum admodum attritæ sint, & nulla ipsis auxilia ex Lysabona mittantur, quibus sese rursus confirmarent, quiescere iam coguntur, quin imo in castello suo instar Daxorum delitescunt, nunquam erumpentes, sed & rarisime egredientes, metu Nigritarum, ne cum numero pauci sint, per proditionem & insidias in Batauorum manus tradantur. Nam & Æthiopes ab ipsis indies magis magisque deficiunt, cum conuersationem & familiaritatem Batauorum magis quam Lusitanorum sibi experiantur lucrosam.

Vires Lusitanorum in castello de Mina hodie exigua.

Cap. LII.

DE GVBERNATIONE CASTELLI SIVE PROPVGNACVLI de Mina, *per Regem Hispaniæ facta, & de insigni lucro quod ad Regem ex hoc castello quotannis rediјt, Itemque de autoritate, potentia, commerciis & vxoribus Lusitanorum in hoc castello habitantium.*



OSTQVAM Lusitani de mandato Regis suis, littus hoc Guineæ aperuerunt, & vt supra dictum, aliquot castellis vel propugnaculis firmarunt, vt nulla Nigritarum seditione facile inde expelli & eiici possent, Hispaniæ Rex considerans se Do-

se Dominum iam regionis istius factum, & locum esse commerciis magno cum fructu exercendis conuenientissimum, inito cum mercatoribus aliquot Lusitaniæ contractu, Castellum *de Mina* ipsis tradidit, hac lege vt ipsis solis & nemini mercatorum alii cõmercia ibi exercere cũ Nigritis liceret, ipsi vero contra, Regi aliquot centenos Portugalicos auri puri annuatim persoluerent. Mandato igitur publico peculiariter cauit, ne quisquam subditorum suorum, per vniuersum Regnum suum nauigationem hanc susciperet & vllam in littore Guineæ mercaturam facéret, sine permissu mercatorum qui negotiationes has & commercia ab Hispaniæ Rege redemissent, capitis pœna in omnes huic mandato non parituros sancita.

Castellum La Mina qua conditione mercatoribus, ab Hisp. Rege traditum.

Vt autem mercatores hi ab omni incursu tutiores essent, & sese à vi externa aliorũ populorum eo rectius defenderet, castellũ hoc commeatu & munitionibus omnis generis abunde firmari Rex præcepit, dato ei Gubernatore vel præfecto aliquo, qui cum imperio ibi esset & ab omnibus hostium incursionibus mercatores defenderet, Et quidem quod ad Præfectos illos siue Gubernatores attinet, illi quidem non sunt perpetui, sed auocantur & renouantur singulis tribus annis, suntq; plerunque capitanei vel præfecti, qui præclaram Regi antea nauarunt operã, & in bello vel læsi sunt membra, vel mutilati, vt eos iam rude donatos, ad dies vitæ sustentare necesse esset. Hi enim in recompensatione fidelium eiusmodi seruitiorũ, huic Castello Gubernatores transmittuntur, vt rem facere, & opes ibi accumulare posśint, ne Regi molestiam amplius vllam creent, atque ita à sumptibus in illos impendendis, Rex liberetur.

Castellum La Mina munitur.

Gubernatores Castelli.

Gubernatores igitur vno quolibet triennio finito, prouinciam deponunt, At præsidiarii milites ad dies vitæ ibi commorari & manere coguntur, suntque eiusmodi fere homines, qui vel in Portugalia vel in Hispania, ob insigne aliquod facinus capitis damnati, vitam suam liberalitati & gratiæ Regis annumerare & acceptam ferre coguntur.

Milites præsidiarij qui & quales ibi.

Hi igitur ex Hispaniæ & Lusitaniæ regno proscripti, ad hoc castellum relegantur, vt ibi stipendia faciant, & mercatoribus sint præsidio, Stipendia vero vnde viuant à Rege accipiunt, Ipsius n. est, omnes sumptus, qui ad sustinendos præsidiarios & alia requiruntur, ferre, nec quicquam mercatoribus oneris impositũ est, nisi vt naues mercibus omnis generis oneratas, procuratoribus suis transmittant, quorũ officium est vt in hoc littore permutatis cũ fructu bonis, aurũ diligenter colligant, & nauibus Hispanicis impositũ ad Dominos suos in Lusitania degentes remittant.

Sumptus quis facere cogatur.

Barcæ enim siue naues Hispanicæ ante hæc tempora duabus in anno vicibus Lysabona ad castellum hoc mittebantur, semel sub initium anni, mensibus nẽpe Aprili & Maio, & semel sub finẽ eius, mensibus nempe Septembri & Octobri. Nec vero Hispanicæ tantum, sed & Gallicæ ad hoc iter destinabantur naues, quæ nimirum ei sufficere viderentur, vnde etiam nauigatio hęc Gallis primum innotuit qui progressu temporis, ipsi quoq; littus hoc inuisere, & commercia cum Nigritis propria exercere conati sunt, vt supra copiosius dictum est.

Naves Lusitanorum bis in anno hoc littus frequentarunt.

Non autem separatim sed coniunctim, & cum comitatu quatuor vel quinque nauium, hæc nauigatio quotannis perficiebatur, quæ simul ad Castellum *de Mina* appellentes, post bonorum siue mercium depositionem, ad quatuor vel 6. septimanas donec reficerentur, & rebus necessariis rursus instruerentur, ibi substiterunt.

Navigatio hæc quàm citò à Lusitanis perficiatur.

Poterant igitur tum Lusitani spacio octo vel nouem ad summum mensium hanc nauigationem absoluere, quam hodie Batavi, decem, imo duodecim, & interdum octodecim mensibus vix perficiunt, quibus sæpe tot mensibus in littore subsistendum & cõmorandum est, quot Lusitani toti vix itineri impenderunt, Cuius quidem rei causa est, quod nullam ibi domum Batavi habeant, vbi bona & merces suas deponere possint, quemadmodum Lusitani faciebant, quorum tamen commercia terminum fere iam assecuta sunt, ita vt plus fere detrimenti quam commodi ex castello hoc ad Hispaniæ Regem hodie deriuetur, cum commercia Lusitanica iam fere cessarint, propter nauium Hollandicarum multitudinem, Batauorumque frequentiam, qui tanti sæpe merces suas in hoc littore diuendunt, quanti eas Lysabonæ vel alibi, Lusitani ipsimet redimere coguntur.

Lusitanorũ consuetudo vetus, commercia cum Nigritis exercendi.

Principio quidem cum vniuersa negotiatio penes Lusitanos solos his quidem in regionibus esset, merces ipsi suas maximi æstimare solebant, nec vlla ipsis festinatione opus erat, qua minoris quam sperauerant, eas diuendere cogerentur, domum enim habebant vbi depositas merces ad futuram necessitatem asseruarent, & cũ fructu tandem diuenderent.

Præterea merces nullas particulatim, sed coniunctim, & magna copia vendebant, sic enim Nigritas assuefecerant, vt priusquam ad Castellum *de Mina* empturi quibus indigerent, proficiscerentur, auri tantum comportarent, quantum florenorum Hungaricorum quatuor millium summam æquaret, neque enim domum mercatoriam aperiebant donec summa hæc esset completa.

Iam vero cum auro hoc accepto, domum mercatoriam aperirent, dabatur vnicuique quid & quantum volebat, nec vero integrum erat Nigritis quod vellent eligere & hoc illudue repudiare, sed cogebantur acquiescere & accipere quicquid ipsis porrigebatur absque vlla tergiuersatione.

Negotiatio lucrosa.

Quid hic de *Dache* quod vocant, seu muneribus dicam, quæ Nigritæ à Batauis hodie peracta mercatura exigunt? Moris profecto tum non erat vel tantillum ipsis donare, neque quisquam Æthiopum reperiebatur, qui donariorum mentionem facere auderet. Poterant igitur tum Lusitani merces suas tanti vendere, quanti ipsimet volebant, cum nemo adesset qui eos impediret, nemo etiam ex Nigritis conqueri de precii magnitudine auderet. Vnde colligere facile est & iudicare, cum quanto isthæc ipsorum negotiatio, lucro & commodo tum fuerit coniuncta.

Præterea tantum Nigritis iniecerant timorem, vt nemo esset, qui vel granulum auri adulterati & corrupti castello inferre, & Lusitanis pro bono obtrudere auderet.

Rigor Lusitanorum erga Nigritas.

Et sane qui Castello *De Mina* subiecti sunt Nigritæ, etiamnum hodie vinculis istis quasi constricti à Gubernatoribus tenentur, si enim Gubernator intelligat, aliquem forte ex illis, naues Batauorum sine suo cõsensu ascẽdisse, compedes ei statim iniici curat. Quod si aliquem vel vestem, vel calceos, vel pileum, vel aliud quid eiusmodi ab Hollandis, facta permutatione, accepisse animaduertat, statim ei id vel prorsus eripi, vel vsu eius ipsi interdici iubet.

Ante aduentum certe Batauorum Lusitani sese in castello non multum continebant, sed libere, passim regionem istam peruagantes, hinc

inde

inde oberrabant, omnia perscrutantes & inquirentes, vnde vel minimum sese percepturos vtilitatis sperarent. Verum Batauis iam pedem in terram ex nauibus suis ponentibus, Lusitani sese retrahentes loca illa omnia vbi Batauos subsistere nouerant, deseruerunt, vtpote cum quibus conuersari, & amicitiam colere legibus & statutis suis prohibeantur. Vnde factum est, quod loca ista omnia vbi Bataui multum versantur & commorantur, à Lusitanis planè defecerint. Hoc vero ausim affirmare, Batauos si Castellum *de Mina* in sua haberent potestate, vel in maiori apud Nigritas istos dignitate & autoritate, quam Lusitani vnquam fuerunt breui futuros.

Interim tamen negari non potest, multo regionem istam per Lusitanos meliorem factam, qui multis eam, potissimum tamen propriæ vtilitatis gratia, auxerunt commodis, sic enim multis pecoribus abundare iam cernitur, quæ ante Lusitanorum aduentum plane ignorabantur. Sic triticum Indicum, quod *Mays* vocant, Lusitani primi ibi seminarunt, quod etiamnum necessitati Nigritarum inseruit. Sic vt haberent quo sese recrearent, calamum indicum siue saccari cannas, & mel arundinis, cum *Bannana de congo*, *Annanis* & aliis fructibus, his regionibus importarunt, qui fructus Nigritis ante hæc tempora plane fuerunt incogniti, & propterea auide initio ab ipsis expetebantur, ad explendam nimirum voluptatem suam. Tunc temporis fructus isti satis magno vendebantur precio qui progressu temporis ita vilescere cæperunt, vt iam vel minimo veniant, Cum regio omnis illis expleta abundet.

Lusitani multis commodis terram hanc affecerunt.

Fructuum caritas.

Cæterum quod ad valetudinem & sanitatem Lusitanorum attinet, ipsi quidem egregie se ibi continere & aërem istum ferre melius quam Bataui possunt, quod ipsum quidem ex diligenti cura fieri existimo, cum valetudinis suæ rationem habere melius quam Bataui sciant & soleant.

Sed mulieres Lusitanicę ibi sese ægre continere possunt, semper enim infirma sunt valetudine, & morbis perpetuis intabescunt, quod natura loci eas non ferat, & aërem plane habeant contrarium. Eam ob causam Lusitani raro mulieres secum adducunt, sed eligunt sibi ex Nigritis prudentiores quasque, vel eas quas *Melato* vocant, quæ intermedii sunt inter albedinem & nigredinem coloris, Luridas nempe, quibus ipsi admodum delectantur. Quamuis enim non ita illis copulentur vt separari ab illis non possint, sed pecunia eas redimere soleant, habent tamen eas pro vxoribus legitimis, sed quas pro libitu tamen à se dimittere possint, aliis in locum ipsarum electis & receptis.

Lusitani Nigritis mulieribus vtuntur.

Hæ vero mulieres plerunque aliis, quibus Nigritæ vtuntur, delicatiores sunt & insolentiores, vestimentis etiam elegantioribus vtuntur, vnde facile etiam est eas à vulgarioribus discernere, Capillum enim omnem abradunt & detondent instar virorum, quod præ aliis omnibus peculiare habent, vestimentis interim etiam splendidioribus & ornatu maiori vtentes.

Cap. LIII.

De Propugnaculo sive Castello La Mina, *quomodo nimirum extructum & munitum sit, qualibus personis habitetur, & quam commeatu rebusque necessariis aliis hodie sit instructum.*



Astellvm vel propugnaculum *La Mina* satis firmum est, & in conuenienti loco situm, vnde & commercia promoueri & regio ab omnibus incursionibus defendi quam optime possit. In loco enim optimo & totius quasi regionis intermedio extructum est, vt pagani eo vndique confluere facilime possint, & commercia sua cum peregrinis exercere, Nam & præstantissima ibi reperiuntur pecora, & fructus optimi, aliaque quæ ad communem necessitatem & sustentationem vitæ necessaria sunt, vt castellani sese inde sustentare quam optime possint.

Commoditates huius Castelli.

Sed & naturali robore munitissimum est, Arcem habens super saxum firmissimum extructam, quam ab altera parte mare alluit, vbi duobus simul firmissimis propugnaculis infestum est, ab altera parte similiter propugnacula duo habet, sed non æque firma & munita, quod periculum ab ea parte non vsque adeo magnum imminere castello videatur. Ex firmissimis autem lapidibus propugnacula ista extructa sunt, quos ex solido saxo exciderunt, quemadmodum etiam Castellum totum fere saxo insistit, & tam eleganter ei impositum est, vt saxum nemini impedimento vel damno esse possit.

Arx & propugnacula.

Vallum ab ea parte qua mare respicit, aliquando quidem depressius habet, sed locus ibi natura munitissimus est, altissimis nempe saxis, quibus propugnacula imposita sunt, formidabilis. At vero à parte opposita, muros habet admodum à terra eleuatos, quos inter & arcem ipsam, interstitium quoddam est, vt circumiri Castellum vndiquaque possit, quod magnitudine sua arcem *Rammetiam* in Selandia ferme adæquat. Sed & fossam habet murum vndiquaque cingentem & ambientem, ab vna quidem parte vacuam fere, & siccam, at ab altera, qua mare attingit aqua satis repletam. Nam ab orientali parte fossa hæc multo profundior est, & aqua ita abundat, vt Barcas siue nauigia ipsorum admittat, vnde etiam mercaturam ibi olim exercere quam felicissime potuerunt.

Vallum. *Mœnia.* *Fossa.*

Portas porro Castellum duas habet, vnā in latere orientali & alteram in occidentali, quarum occidentalis quidem præcipua & fortissima est, Sed & pontem habet versatilem, cui turris ex lapidibus elegantissime constrata imposita est multis cænaculis cubiculisque exornata, quam quidem castellanus vel Gubernator ipsemet inhabitat. Porta altera, domui mercuriali vicina, mercibus potissimum importandis & efferendis inseruit.

Porta. *Turris.*

Cæterum in medio castelli, area est insignis capacitatis, quam nuper extructo templo exornarunt, Illud enim extra castelli mœnia in monte quodam olim habuerant, sed propter motus varios & incursiones hostium, destructum nuper & demolitum, intra mœnia recipere statuerunt, hostes nimirum, hoc templo, propugnaculi loco aduersus castellum vti & non parum castello damni inde inferre posse videntes. Facta est

Templum.

cta eſt autem hæc templi deſtructio circa annum Chriſti 1596. cum *Carolus* quidam *Hutſerus* Caſtellum expugnare decreuiſſet.

Habitatur autem hodie non multis admodum Luſitanis, numero nempe eorum indies magis magisque decreſcente, ita vt vix triginta in eo numerari poſsint, quorum tamen plerique etiam infirma ſunt valetudine, decumbentes nimirum in Noſocomio extra caſtellum, quod *Fermerye* dictum, vſibus ægrotantium deſtinatum eſt. *Quot & qualibus perſonis Caſtellum hoc hodie habitetur.*

Qui bona adhuc vtuntur valetudine, non ſunt de communi populo, ſed perſonæ illuſtres, qui tempore neceſsitatis ſeſe defendere, & aduerſus hoſtem tueri non diu poſſent. Gubernatori moderno nomen eſt *Chriſtophoro de Mena*, Hunc ordine ſequuntur, vnus qui ipſis *Padre* & alter qui *Viador* dicitur, poſt eos numeranrur Procurator Regius, Præfectus præſidiariorum militum ſiue centurio, Procurator mercatorum in Luſitania, cum paucis aliis qui publicis funguntur officiis, Hi autem omnes habitationem ſuam in caſtello habent, Cæterum gregarii & præſidiarii milites, tonſor item & alii, extra Caſtellum omnes in pago prope illud ſito habitant, & horas ſuas norunt, quibus ad excubias in caſtello agendum, aſcendant, quibus tamen etiam ſatis negligenter præſunt, ſi nullas in mari naues adeſſe videant.

At vero Nigritas imperio ſuo ſubiectos adhuc habent quampluri-mos, ita vt ſeptingentorum fere numerum facile colligere poſſe videantur, Hi ipſis Luſitanis multo ſunt natura etiam ipſa deteriores, exaſperantur vero & indies magis magiſque aduerſus Batauos à Luſitanis excitantur, ita vt maximum ab illis expectandum ei periculum ſit, qui bellũ forte Luſitanis inferre conetur. Vaſto n. omnes ſunt corpore & nõ ſagittis ſaltẽ miſsilibuſq; haſtis, ſed & tormentis & bombardis vti norunt optime, ita vt non parum hoſtibus faceſſere negotii poſſe videantur. *Nigritæ Luſitanis ſubiecti.*

Ad commeatus bellicos quod attinet, illis quidem ante hæc tempora melius etiam inſtructi fuerunt, ſiquidem parum ipſis ex Luſitania bellicorum commeatuum hodie tranſmittitur. Cum enim Rex Hiſpaniæ videat, lucri ſe ex hoc caſtello non tantum hodie percipere, quam ſuperioribus annis factum eſt, ſumptibus etiam quodammodo parcendum exiſtimat, Vnde miſere hodie cum illis agitur, morbis enim confecti, famem tolerare & inediam ſæpe cogerentur, niſi neceſsitati ipſorum qui Inſulam S. Thomæ inhabitant Luſitani, ſubuenientes, eos interdum ſubleuarent, quibus quod etiamnum Caſtellum hoc poſsident, vel ſolis acceptum referre coguntur. *Commeatus bellici.*

Nec vero dubium mihi vllum eſt, quin ſi Batauis fidẽ habere, & eorum expetere familiaritatẽ auderent, iã pridẽ relicto caſtello ſuo ipſis ſeſe adiunxiſſent. Verũ cum iniuriarũ quas ipſis ſæpe intulerũt, memores, mortis periculũ extimeſcant, atq; ita ne ſcyllã vitantes in charybdin incidãt, ſua culpa merito vereãtur, caſtellũ hoc vel inuiti, magno cũ labore & periculo metu tamẽ periculi maioris cõſeruare cogũtur, in tãto hodie metu viuentes, vt non facile pedem extra caſtellum & pagum ſuum ponere audeant, ne à Nigritis, forte qui à Batauorum ſunt partibus, comprehenſi trucidentur. ¶ Sic igitur Caſtellum hoc quo ad ſitum loci & ædificium ipſum, ſatis firmum eſt, nec facile expugnatu, At vero Luſitanorum fortuna & conditio hodie prorſus immutata eſt, nam cum naues ante hæc tempora, ex Luſitania & Inſula S. Thomæ magna frequentia quotannis adventantes numerarent plurimas, vix hodie Barcam ac- *Fortuna Luſitanorum mutata.*

 cipiunt

cipiunt vnam atque alteram, cum transitus ipsis interclusus fere sit, & præpeditus Batauorum nauibus, quibus haud raro etiam præda fieri solent.

Tormenta & pulvis tormentarius.

Quod attinet ad tormenta minora & maiora ænea, ea quidem ipsis non desunt, multa enim ab altera potissimum parte, qua mare respicit, disposita in vallo & propugnaculis cernuntur, nec tamen omnia ex armamentario protracta ibi conspiciuntur, vt iudicari de multitudine & quantitate ipsorum posset. Hoc enim Gubernatores tanquam singulare aliquod secretum nemini aperiunt, attamen cum haud Nigritarum, ad naues tacite ablegatorum opera, in redimendo à Batauis puluere tormentario vtantur, auro eum preciosissimo, si pro voto copiosum satis habere possent, libenter præponderaturi, facile inde coniicere est, tormentis eos quidem in castello melius quam puluere tormentario instructos esse. Sed hæc hactenus de Castello *La Mina*, dicta sufficiant. Iam quo cursu & tramite naues Batauorum, peracta mercatura domum reuertantur, & quid in reditu ipsis occurrere plerunque soleat, paucis vt exponamus restat.

Cap. LIIII.

DE RATIONE ITINERIS QVOD PERACTA IN HOC LITtore mercatura, instituitur plerunque ad regnum Benin *&* Rio Forcados.

Vbi plerunque naves discessum parantes solvant.

PERACTA iam ex animi sententia & voto mercatura, cum domum redire Batauì constituerunt, plerunque à pago *Mourre* itineris initium facientes soluũt, cum locus iste propter rerum omnium abundantiam, & altitudinem vel eleuationem suam, nauibus discessum parantibus omnium aptissimus deprehendatur, quippe vbi sibi de rebus ad iter necessariis prospicere, & cursum ita instituere possunt, ne ad vallum propellantur.

Angulus ad modum periculosus.

Solent autem plerunque cursum suum, versus Insulam S. Thomæ, vel etiam ad *Rio de Gabom*, locum nimirum sub linea æquinoctiali situm, dirigere, cum ad superandam S. Thomæ Insulam, multum laboris requiratur propter fluctuum nempe rapacitatem & vehementiam, qua naues plerumque vallum versus aguntur, vel ad sinum à *Ferdinando Poo* cognominatum, abripiuntur, qui quidem sinus diligentisime cauendus est, si quis enim in eum incidat, non facile se inde rursus expediet, sed in extremo versabitur vitæ & salutis periculo, nisi ventum forte septentrionalem accipiat, sine eo enim vix quisquam inde euadet & liberabitur, cum aliqui ibi sex vel septem septimanis hæserint antequam ad promontorium, quod *Cabo Lopo Gonsalves* vulgo vocant pertingere potuerint.

Ad ventorum vero rationem quod attinet, sciendum est, ventum quo quis ad lineam æquinoctialem accesserit propius, eo magis in austrum inclinare, ita vt linea hac superata, ventus deprehendatur vel Notus plane, vel Euronotus, vbi vero quis quod similiter notandum est, pisces volantes maiores deprehenderit, non procul sese ab Insula *S. Thomæ*, vel ab Insula *Del Principe* abesse, statuat.

Cum

Cum autem Auriferi littoris terminus non longius sese extendat, quam à promontorio, quod de tribus punctis vocatur, vsque ad fluuium, *Rio de Volta* dictum, solent plerunque qui ab hoc littore discedentes, regnum *Benin* inuisere volunt, cursum suum iuxta vallum tenere, prætereuntes flumina aliquot, quæ vocantur *Rio de Volta*, *Rio de Adra*, & *Rio de Lago*, Nam ad hæc loca nemo accedit, eo quod nihil ibi reperiatur, vnde lucrum percipi possit, præter Eboris paululum, quod laborem & molestias itineris recōpensare non potest, si respicere periculorum magnitudinem velis, quibus sese, loca ista compellantes propter fluctuum & ventorum vim maximam, exponunt.

In ipso fluminis *Forcado* ingressu, insula sita est, flumen vero ipsum, & totus ipse tractus, tam longe lateque extenditur & patet, vt præ aliis agnosci & discerni facile possit, nam regio ipsa ad 40. fere miliaria Gallica, vsq; ad fluuium, *Rio de Ardea* dictum excurrit, Visitatur sæpe à Lusitanis, & passim nota est, non quidē propter terræ bonitatē, sed propter mancipiorum copiam, quæ ibi magno numero diuendita, hinc inde, vel ad Insulam S. Thomæ, vel ad Brasiliam & alia loca transportantur, vt præparandeo melli arundineo, & Saccharo conficiendo adhibeantur. *Mercatura mancipiorum.*

In his riuis nihil præstans & eximium reperitur quod alicuius esset momenti, præter genus quoddam cæruleorum, viridium & nigrorum lapillorū, ex quibus orbiculos suos coralinos parare solent, qui propter coloris præstantiam ab aliis Æthiopibus valde expetuntur, quemadmodum etiam in Guineæ littore à Nigritis plurimi fiunt. Vtriusque sexus homines nudi ibi incedunt, donec vendantur & in seruitutem redigantur, tunc enim pudenda sua obuelare & tegere incipiunt. *Nuditas libertatis signum.*

Lusitani magna ibi commercia exercent, & frequentes ibi sunt in coëmendis mancipiis siue seruis, vnde etiam maior incolarum cum Lusitanis, quam cum aliis populis familiaritas existit. Quin etiam habitantes ibi quidam Lusitani reperiuntur, qui bona omnia, quæ in mercaturam venire possunt redimant.

A *Rio de Adra* vsque ad *Rio de Lago*, miliaria Gallica 10. numerantur, in quo toto tractu, nihil quod ad mercaturam faciat, reperitur. A *Rio de Lago* vsque ad *Rio de Benin* miliaria 20. vel circiter numerantur, Estque communis hæc opinio, Regnum *Benin*, à littore *Guineæ*, nempe à *Mourre*, vbi naues plerunque soluunt, centum miliaribus distare, cum descendentis fluminis beneficio vel vnico biduo eo pertingere naues possint, quæ sex fere septimanas in reditu à regno *Benin* ad littus *Guineæ* vsque conficiant. *Regnum Benin quot miliaribus à Guinea absit.*

CAP. LV.

DE MAGNITVDINE ET SITV CIVITATIS BENIN, *vna cum omnibus quæ memoratu digna ibi occurrunt.*

CIVITAS *Benin* prima quidem facie admodum magna videtur, quamprimum enim eam ingrediaris, longa & lata tibi platea aperitur, quę amplissimam quamq; in nostris ciuitatibus plateam vel octies latitudine sua superare cernitur, Recta autē ad finē vsq; ciuitatis excurrit absq; vllo sinu, & licet quis quadrātem horę procedendo absoluerit, terminū tamen nō modo non videbit, sed è longinquo cacumen arboris sese ei aperiet, tanto interuallo, quantum *Platea recta in ciuitate Benin, latitudinis & longitudinis maxima.*

tum acies oculorum assequi vix potest, A qua quidem arbore, platea hęc longissime adhuc extenditur, ita vt licet eundo ad arborem hanc perueneris finis tamen nullus tibi appareat, sed ædificia tamen post arborem istam aliquo modo prioribus minora, & ex parte desolata, cernuntur, vt colligi possit finem plateæ non procul à desolatis istis ædificiis abesse.

Arborem hanc antequam quadrantem horæ eundo absolueris, non videbis, visa autem ea, dimidium adhuc miliare tibi conficiendum restat antequã eam assequaris vnde quidam pro certo affirmare non dubitant, plateam hanc rectã, exceptis suburbiis, vel integrum miliare longã esse.

Vallum. Portã ingressis vallum sese offert, ex aggesta in aggerem terra ingenti & altitudine & latitudine, formidabile, similiter & fossa lata atq; profun-*Fossa.*da, quæ aquã quidem nullã habet sed multis est altissimis arboribus consita. Hæc satis longe sese extendit, sciri tamen non potest, an totã ciuita-*Porta.*tem ambiat, Porta vero ciuitatis ex ligno facta est, ita vt claudi & aperiri possit, & ad eam semper reperiuntur qui excubias agãt, Antequã autem ad portam venias, suburbium trãsire necesse est satis magnum, In platea *Suburbium.* vero illa magna de qua antea dictũ est, constitutus, ab vtraq; parte diuerticula satis spaciosa ampla & lata videbis, quæ ambages quidem non habent, tanta vero sunt longitudine, vt oculis terminũ nullũ assequi possis.

Plura autem hac de ciuitate scribenda essent, si integrum alicui esset & permissum, eam probe cõtemplari & perscrutari, At vero hoc nemini conceditur, Quamprimum enim quis portam ingrediatur, adiungitur ei statim comes aliquis, qui eum per plateas deducat, cuius rei hanc quidẽ causam prætendunt, ne peregrinus aliquis à via recta forte deflectens aberret, sed recta ad locũ quẽ petit perueniat, cum error in tam vasta & magna vrbe sit facilimus, sed interim tamen ire quo velint, & omnia pro libitu contemplari peregrini ab adiuncto sibi comite prohibentur.

Pecora & fructus varij. Pecoribus fructibusq; iucundissimis incolę admodum abundãt, vt inde viuere & sese sustentare quam optime possint. Vinũ generosissimum habent, duorum generum, aliud enim *Vino de Palia* vocant, aliud *Vino de Bordon*, quorum illud horis matutinis & circa meridiem, hoc vero horis vespertinis bibunt libentius, quod diuersis istis temporibus vina hæc diuersa conuenire melius existiment.

Allium indicum. Sed peculiare adhuc fructuum genus habent, sapore allium nostrum referens, coloris autẽ plane purpurei. Et quidẽ vota facturi, vel iuramentum pręstituri, promittunt se ab illis quidem allii huius capitibus, quæ in tot vel tot, (numerũ certum exprimentes) particulas recidãt, plane velle abstinere, Quidam autem se fructum hunc omnino vitaturos vouent.

Ædificia nobilium. Ædificia sese ordine optimo cõsequuntur, & eodem fere modo quo in nostris ciuitatibus passim sibi cohærent, quæ vero personis nobilibus & genere præstantiorib⁹ inhabitãtur, Cæteris magis sunt eleuata, ita vt per gradus aliquot ascendere intrantes oporteat, In vestibulis, porticu quasi quadã exornata sunt, vbi in vmbra solis ardores imbresq; declinãtes, obambulare & sedere possunt, in quem quidẽ vsum primo statim diluculo scopis per mancipia purgata, mattis siue storiis ex stramine cõtextis insternuntur. Cubicula interna muri alicuius instar cõstrata sunt & formã quadratã obtinent, His tectum ab omni parte superimpositum, in medio apertum est, vt soli & luci ingressus pateat. Cæterum in his cubilibus non modo dormiunt, sed cibũ ẽt capiunt, quẽ tamen in culinis seorsim cõstructis prẹparãt, queadmodum eiusmodi mansiunculas & cellas multas sub eodem tecto & varias habent.

At

At vero ædificia vulgaria hoc modo constructa non sunt, pariete enim siue muro vnico tantum cõstant, in cuius medio ianua lignea cõstituta est. Fenestrarũ vsum prorsus ignorant, lucẽ & aërem per tectũ recipientes. Cæterum ædificia omnia rubra sunt, parietes habent firmos admodum & crassos, ex terra nonnihil rubente constructos, terram enim istam aqua modice affusa instar argillæ vel figularis terræ præparant, & madidam coaceruantes exaggerant, vt calore solis postmodum indurata, murum quasi repræsentet. Duorum autem pedum vt plurimum crassi sunt isti parietes, ne iniuriis tempestatum facile cedant, cum fieri interdum soleat, vt vi imbrium & pluuiarum paries vnus atque alter destructus atque solutus in terram præcipitetur. *Ædificia vulgaria.*

Aula regia magnæ est capacitatis, & multis areis quadrangulati forma factis conspicua, quæ atriis constant quam plurimis, quorum quodlibet porticum habet, sub qua Satellites regii excubias agere conspiciuntur. Tantæ autem magnitudinis hæc aula est, vt terminus eius nusquam appareat, Cum enim defessus ambulando, existimas ad finem te iam peruenisse, ianua statim alia occurrit, qua aperta, area patet vel priori longe capacior. Mansiones habet non tantum pro hominibus, sed etiam pro brutis animantibus, vtpote pro Equis & iumentis, quamplurimas, sed & Equi in stabulis satis generosi nostris tamen multo minores, reperiuntur, vnde apparet, multis Regem ipsorum militibus instructum esse, quorum etiam passim aliqui in aula conspiciuntur. *Aula regia.* *Satellites regij.* *Equorum stabula.*

Cæterum Rex multos habet aulicos nobiles, in aula sibi ministrantes, qui cum aulam ascendunt, equis feruntur, insidentes iis instar nobilium in gynecæis fœminarum, pedibus ab altera tantum parte demissis, Ab vtroque autem latere seruos habent sibi adiunctos, quorum humeris innitantur, A tergo sequitur eos magna seruorum & mancipiorum caterua, quorum aliqui vmbellas tenent ad arcendum à capite nobilis istius solem aut imbres comparatas. Et hi quidem Equis proximi incedunt, reliqui vero certo interuallo subsequentes, partim tympana pulsant, partim cornibus & tibiis ludunt. Equus porro non solus incedit, nec à nobili sessore regitur, sed per ministrum siue famulum aliquem ducitur, atque ita quidem cum tympanorum & tibiarum cantu, nobilis quilibet aulam Regis quotidie ascendit. *Nobilium aulam Regis ascẽdentium pompa.*

Qui nobilitatis sunt præ cæteris splendidioris & illustrioris, præter hæc commemorata instrumenta musica, adhuc aliud peculiare habent, quo ad aulam regiam contendentes vtantur, serui enim ipsorum reticulis quibusdam instructi sunt, sacculos istos fenestratos siue cancellatos, quibus viri in forum piscarium apud nos egredientes vulgo vtuntur, æmulantibus, his, nescio quid inclusum, si manibus pulsetur sonum edit, qualis solet esse nucum in vasculo aliquo commotarum strepitus. Nobile igitur ad aulam Regis pergente, ingens à seruis circa eum cursantibus, strepitus excitatur. *Instrumentum musicum peculiare.*

Seruos & ancillas Regi & Reginæ ministrantes, in aula ista reperiri quamplurimos inde facile colligitur, quod passim cernuntur fructus varios, oleum palmarum, aquam & gramen pro equis, in capitibus gestare. Solet autem Rex interdum cibis quibusdam lautioribus, nobiles honoris & fauoris ergo donare, qui quidem per ministros eleganti ordine sibi inuicẽ succedentes, ab aula portantur, præcedentibus quibusdam albo baculo instructis, qui populum comprimant, & regiis istis ministris via cedere iubeant. *Servi & ancillæ Regis.*

Processiones regia. Cæterum vxores Rex iste complures habet, & binas in anno processiones instituit, quibus aula egressus vniuersam ciuitatem perlustrat, Tunc vero vniuersas suas vires & potentiam colligit, vt sese cum vxoribus suis oblectare possit, quarum vltra 600. eum tum comitantes, sæpe numerantur, quamuis non omnes sint legitimæ, cuilibet enim in hoc regno vxores pro libitu plures habere concessum est, vnde nobiles sæpe 80. vel 90. habere dicuntur, nec quisquam reperitur fortunæ tam abiectæ, qui non decem vel duodecim vxores domi suæ habeat. *Polygamia.*

Forum. Porro loca etiam habent emendis & vendendis rebus variis peculiariter destinata Hoc enim in loco forum maius est, *Dia de Ferro* ipsis vocatum, in alio vero forum minus est, quod *Ferro* vocant, atq; in his locis res variæ venũ exponuntur, nempe canes viui, quibus passim vescuntur, Simii & cercopitheci assati, glires & mures maiores, Psittaci, gallinæ, lacertæ calore solis induratæ, fructus præterea varii, vinum de palmis & alia quæ ad sustentationẽ humanæ vitæ necessaria sunt. Afferunt vero etiam in forum catinos ligneos, poculaque & supellectilem aliam, cum gossypio in fila diducto & parandis vestimentis accommodato, preterea & instrumenta ferrea, capiendis piscibus, scindendo agro & aliis vsibus quotidianis apta, cum hastis, sagittis & armis bellicis aliis. Omnia autem decenti ordine in foro disposita cernuntur, & quilibet in forum procedens locum quo se conferat peculiarem habet, pro ratione mercium quas venum expositurus affert.

Nuditas virginum & Iuvenum. Iuuenes & virgines, omnes nudi incedunt, donec ad matrimonium transeant, nisi forsitan à Rege priuilegium & potestatem accipiant, vestimentis nuditatem suam contegendi. Hoc enim pro magno beneficio habent, si à Rege potestatem sese vestiendi impetrent, & tunc vario colore illuminati & vestibus induti, peculiare quasi festum celebrant, amicos, & consanguineos, qui ipsis de hoc honore gratulantur, conuiuio excipientes.

Ritus Mahometici. Circumcisionem & ritus Mahumeticos alios obseruant. Cutem tribus fissuris ab humeris ad vmbilicum vsq; secant, necessarium hoc ad salutem existimantes. Præterea sinceri etiã sunt & iniuria neminẽ non ex suis modo, sed nec ex peregrinis facile afficiunt. Lædere enim peregrinũ aliquem capitale apud ipsos est, qui peculiari etiam modo delinquentes supplicio afficiunt, manibus enim condemnatum in tergum reuinctis, & obligatũ oculis, iudex in altum protrahit, vt caput eius versus terram propendeat, quod apprehensum speculator securi abscindit, trunco postmodum in quatuor partes dissecto & in campum proiecto, vt ab auibus deuoretur. *Capitis supplicia.*

Metus avium. Aues admodum extimescunt, & metuunt pœna capitis in eum sancita, qui vel exiguum ipsis inferre detrimentum præsumat. Nam & peculiariter quidam ad hoc constituti sunt vt auium curam gerant, de alimento eis prospiciant & ab omni iniuria eas vindicent, qui quidem certum locum in montibus norunt, quo alimentum magna quidem reuerentia asportatum, exponant, quod postmodum ab auibus deuoretur. Sed & peregrinos omni honore & obseruantia prosequuntur, salutantes eos humanissime, & de via ipsis cedentes, etiamsi ingenti onere aggrauati & oppressi incederent. *Honor peregrinis habitus.*

CAP.

Cap. LVI.

DE FLVVIO VEL TRACTV, QVEM RIO DE ANGRA *vocant, cui Insula* Corisco *inserta est.*

SVPERATIS, de quibus sub finem capitis 54. dictum est fluminibus, fit interdum, vt nautæ, præter omnem spem & expectationem, inuiti quodammodo & fluctibus maris vehementioribus abrepti, deueniant ad tractum seu riuum, quē vulgo *Rio de Angra* vocant, in cuius ingressu Insula *Corisco* sita est, quæ, locus est horridus & incultus, nullisque habitatur hominibus; cum præter aquam & ligna nihil proferat. Itaque quæ ad hanc insulam propelluntur, de aqua dulci & lignis sibi prospicere naues solent, & recto postmodum cursu promontorium, quod *Cabo Lopo Gonsalves* vocant petere, vt inde Europæ rursus fines assequantur. *Insula Corisco.*

Cæterum in hoc fluuio vel tractu tres adhuc aliæ Insulæ reperiuntur, nullius momenti, quippe præter ligna, & lapides nihil fere suppeditantes, Insulæ hæ olim nomine caruerunt, nominantur vero hodie *Isle de Moucheron*, eo quod quidam *Balthasarus de Moucheron* eas occupatas, Castello vel propugnaculo munierit Anno Christi 1600. sperans se ibi habitaturum, & commercia ex locis aliis eo pertracturum. Sed fama huius rei ad Æthiopes in *Rio de Gabom* habitantes perlata, cum audiuissent, peregrinos quosdam eo habitatum venisse, consiliū de castello expugnando & omnibus funditus extirpandis cæperunt, quod quidem etiam in actum statim produxerunt, Antequam enim castellum illud perfectū esset & absolutū, cum vix quatuor mensibus ibi vixissent sub imperio cuiusdam *Eduardi Hesii*, ab Æthiopibus oppressi omnes & extincti sunt, propugnaculo diruto & euerso. *Insula de Moucheron.*

Insula *Corisco* à Lusitanis sic vocata est, quod perpetuis tempestatibus fulgurum, tonitruum, procellarum & imbriū sit exposita, quam ob causam etiam nullis habitatur hominibus; Terra præter cucumeres nihil proferre valet, Aquam vero bonam & salutarem, multasque arbores habet, quæ vel Brasilienses rubedine superant. Lignum hoc instar politissimi speculi nitet, & tanta est duricie, vt vix ingenti labore inflecti possit: Cæterum capacitatis hæc insula tantæ est, vt miliare integrum in circumferentia contineat, portum tamen, vbi naues appellant, conuenientem nullum habet. *Corisco Insula vnde dicta.*

A *Rio de Angra*, ad *Rio de Gabom*, 15. numerantur milliaria Gallica, Nullam vero hæc loca vel vicinitatem vel familiaritatē cum aliis colunt, sed modo bellum inuicem gerunt, modo pacem constituunt. Habent quidem etiam Regem proprium, sed potentia tamen illis qui in *Rio de Gabom* habitant inferiores sunt, quos beneuolentia longe superant, ita vt commercia cum illis melius exerceri possint; Tempore enim illo, quo Æthiopes in *Gabom* Castellum *de Moucheron* occupatum, magna crudelitate euerterent, illi qui in *Angra* habitant longe sese ab illis separarunt, dolentes admodum populi istius vicem; sed impedire tamen hanc crudelitatem non poterant, cum qui in *Pongo* habitant, cum illis in *Gabom* sese coniunxissent.

Cæterum in hoc fluuio vel tractu *De Angra*, commercia summa celeritate perficiuntur, Ebore enim abundant, Cuius mercaturam ibi facere mediocrem Batavi solent. Quod ad linguam attinet, ea quidem ab illis in *Gabom* nonnihil discrepant, religione vero vel superstitione potius per

omnia ferme, non ſolum cum illis qui in *Gabom*, ſed etiam cum illis qui in *Cabo Lopo Gonſalves* habitant, conſentiunt, vt paulo poſt fuſius dicetur.

CAP. LVII.

DE FLVVIO SIVE TRACTV, QVEM RIO DE GABOM *vocant, Itemque de promontorio, quod vulgo,* Cabo Lopo Gonſalues *vocatur, vbi naves Batavorum appellere coguntur. Quæ nimirum horum locorum ſit conditio, & quid ibi notatu dignum occurrat.*

QVANDOQVIDEM illi qui in *Rio de Gabom* habitant, vicinitatem colant cum illis qui promontorium tenent quod *Cabo Lopo Gonſalves* vocant, vnaque non ſolum lingua, ſed & religione ſiue ſuperſtitione potius vtantur, viſum nobis eſt, eos coniungere, & conditionem horum locorum vno capite pertractare. Tractus autem hic quem *Rio de Gabom* vocant, quindecim miliaribus ad meridiem magis vergit quam *Rio de Angra* ſituſque eſt recta ſub æquinoctiali linea, miliaribus 45. ab Inſula S. Thomæ diſtans. Locus alioqui cognitu facilimus, nam in ipſo ſtatim ingreſſu, vadum occurrit, trium vel quatuor orgyas longum, vbi ingens exauditur ſtrepitus, à fluctibus ingenti impetu ex riuo ſeu flumine iſto in mare ſeſe exonerantibus.

Ingreſſus huius fluuii ad 4. miliaria patet, ſed latitudo hæc paulatim decreſcit, ita vt circa Inſulam *Pongo*, vltra duo miliaria amplius non habeat. Ab vtraque ripa elegantiſsimis arboribus conſpicuus eſt. Inſula vero ipſa magis ad ſeptentrionem quam ad meridiem vergit, & non procul ab ea adhuc alia conſpicitur, multis fructibus, vt pote *Bannanis*, *Iniamis*, malis aureis & id genus aliis abundans.

Ad duo miliaria in flumine hoc progreſsis, vadum ſeſe offert & arena 8. orgyarum. Littus vero in hoc flumine alterum, meridiem, alterum vero ſeptentrionem verſus excurrit. In medio profunditas eſt 12. vel 13. Orgyarum, quæ vbi dimidio miliari à vallo abfueris, in 4. 6. vel 7. orgyas definit, ita vt littus legere poſſis, & naui ad vallum quam proxime accedere, propter fundum mittendis anchoris conuenientiſſimum.

Tres Reges circa vnum fluvium. Fluuius porro hic tribus tres Reges potentiſſimos, Dominos agnoſcit, quorum vnus in plaga Septentrionali, nempe in *Caiombo*, alter in meridionali, nempe in *Gabom*, reſident. Tertius vero Inſulam *Pongo*, excelſo admodum monte conſpicuam, poſſidet. Atque hic omnium potentiſſimus eſt, bellum ſubinde cum Rege in *Gabom* gerens, cum altero vero in *Caiombo* amicitiam colens, Cum econtra qui plagam meridionalem ſeu *Gabom* tenent, familiaritatem cum vicinis populis in promontorio ſeu *Cabo Lopo Gonſalves* habitantibus colant.

Religio. Quod ad religionem ipſorum attinet, non eſt quidem in ea dignum quid annotatu, Deum enim & verbum eius prorſus ignorant, Solem & lunam venerantes. Quidam arbores pro Diis habent, Alii terram colunt, quod alimenta eis ſuppeditet, vnde & conſpurcare eam & ſputo commaculare indignum putant.

Non

Non multum in plateis conspiciuntur, egressi vero sicam semper in manibus gerunt, cutem habent per vniuersum corpus varie fissam & dissectam, ita vt aspectu tam viri quam mulieres sint admodum mirabiles. Inter edendum non bibunt, sed finito tandem prandio se ad ebrietatem vsque ingurgitant. Est autem potus ipsorum vel vinum de palma, vel *Melasso*, qui potus est ex aqua melle permista factus, similis melicrato nostro. *Potus.*

Mane surgentes præfectum suum, qui ipsis *Chaveponso* dicitur, salutaturi conueniunt, admissique ad eum in genua procidunt, manibus perstrepentes & dicētes, *fino, fino, fino*, quæ verba salutem ipsorum lingua significant. *Salutationes.*

Propensi admodum sunt ad furta. Mulieres ad Scortationem & libidines summo impetu feruntur, inprimis autem peregrinorum appetunt concubitus, honori sibi maximo eos ducentes, vnde etiam viros videas peregrinis vxores suas ipsosmet adducere, Et Rex ipsemet non veretur eis vxores suas offerre. Quin & incestu sese inuicem contaminant, sic enim & pater cum filia, & mater cum filio suo, vbi ad annos maturitatis & pubertatis peruenerint, scortari & fornicari non dubitant. *Libidines.*

Ad partes corporis obscænas tegendas, storiis vtuntur ex arborum corticibus mirabiliter contextis, & rubro colore infectis, quas Simiarum, cercopithecorum & aliarum ferarum pellibus formidabiles reddunt, tintinnabulo in medio appenso. Capite ferme nudo tam viri quam mulieres incedunt, capillum habentes mirabiliter attonsum vel colligatum. Sunt tamen, qui pileos gestent exiguos, ex viminibus vel corticibus arborum, quas *Cocos* vocant contextos. Quidam etiam ingentes plumarum fasciculos in capitibus gestant, qui laminis aut filis ferreis capillis hinc inde alligati sunt. *Vestitus.*

Corpora interdum rubro colore inficiunt, qui ex decocto arboris vel ligni cuiusdam paratur. Quidam annulos in naribus, auriculis & labiis gestant. Quidam segmenta cornuum vel dentium Elephantinorum, labiis, naribus & auriculis inserunt, & per labium inferius perforatum, linguam interdum exserunt. Quidam annulos ab auribus dependentes habent quadrantem vel etiam trientem assis ponderantes. Sed & baculos eis inserunt interdum 5. vel 6. digitos longos. *Annuli.*

Plerique cingulum gestant ex corio Bubali crinibus nondum liberato, quod ad palmi vnius spacium non coit, connectitur vero funiculo ex arborum corticibus facto, & post hoc cingulum gladiolos breues & latos, in vagina ferrea absconditos inserunt, gestantes eos plerunque in anteriori corporis parte. *Cingulum.*

Armis vtuntur variis, nam non solum hastulas habent vel iacula missilia, sed etiam arcus & sagittas veneno infectas. Præterea nouum aliquod habent armorum genus, nostris muricibus non absimile, nisi quod cuspides habeat magis extantes. Sunt enim pugiones tribus aculeis extantibus infesti, qui in hostem coniecti, quomodocunque decidant, semper hærent. Tympana habent in inferiori parte nonnihil coarctata. Hastis vtuntur artificiosissime elaboratis, fabros enim habent cudendi ferri satis peritos, Cum autem in bellum proficiscuntur, mulieres eorum arma portant. *Pugiones tres cuspides habentes.*

Feroces admodum sunt & crudeles, semper enim in armis sunt, bella *Ferocia & crudelitas.*

tam mari quam terra gerentes. Nemini vero, & præsertim peregrinis nullis fauent. Nam & in Batauis, crudelitatis suæ signum nuper statuerunt, opprimentes Anno 1601. summa celeritate Barcam siue nauim Hispanicam, & duas Hollandicas alias, quarum altera Palmula, altera Æthiopissa dicebatur, Batauis simul omnibus, qui in illis erant contrucidatis & interfectis.

Ad ornatum muliebrem quod attinet, Mulieres multas armillas ex cupro vel stanno factas, non exigui ponderis brachiis cruribusque circumdatas gestant, præcinctorio iunceo pudenda obtegentes. De administratione vero rei domesticæ, nihil attinet multa scribere, Viuunt enim more agrestium bestiarum. Ad somnum sese componere volentes, in terram decumbunt, Quidam tamen stragula vel storias ex iunco contextas corporibus suis substernunt. Maximus mulierum labor est, portare aquam, & allatos ex agro fructus in cibum præparare.

Somnus.

Cibus autem quo maxime vescuntur, sunt fructus, quos *Iniamos, Batates* & *Bannanas* vocant, his posterioribus enim induratis, panis loco vtuntur. Solent vero & pisces interdū & carnes, vel fumo vel solis æstu indurare, vt ad futuram necessitatem asseruari melius possint. Habent prę-terea & Calamos Indicos, & radiçes alias. Cibum autem sumpturi omnes humi decumbunt, absque vlla verecundia manus patinis ligneis, (solus enim *Mani*, siue Præfectus eorum, Stanneis vtitur) immittentes, & bestiarum instar arrepta frusta abligurientes.

Cibus.

Ædificia habent ex calamis & arundinibus artificiose constructa, & foliis arborum *Bannanas* ferentium, contecta, longe elegantiori forma quam quæ in Guineæ littore visuntur.

Ædificia.

Aula Regis, omnia in ciuitate ædificia alia magnitudine superat, vocaturque *Golipatta*. Et Rex quidem ornatu vtitur vario, maxime tamen orbiculis osseis testaceisque. Hos enim colore rubro infectos, & Sphærularum precatoriarum instar chorda traiectos, à collo suspensos habet, brachiis similiter & cruribus eos circumuoluens. Faciem plerunque albo colore pingit, subditos habet admodum morigeros, & sibi bene fauentes. Ante portam aulæ eius, tormentum æneum collocatum cernitur, vna cum sclopis, bombardis & armis aliis, quæ à Gallis, facta aliarum rerum permutatione ante hæc tempora sibi comparauit. Admodum enim armis eiusmodi, inprimis vero sclopis & bombardis delectantur, & amore addiscendi vsum eorum ingenti flagrant.

Ornatus regius.

Hyems apud eos ab Aprili ad Augustum vsque durat, quo quidem tempore æstum experiuntur intensissimum, & dies habent plerunque tenebricosos, ob imbrium & pluuiarum magnis guttis destillantium frequentiam, quæ tamen simul atque in terram deciderunt, æstu nimio statim consumuntur & exsiccantur, ne vestigium quidem vllum post se relinquentes. Cæterum flumina ab hisce pluuiis & imbribus magna sumere incrementa videntur, & propterea copiosis præstantissimis piscibus natantur.

Hyems.

Æquinoctium habent perpetuum, nunquam enim vel crescere, vel decrescere dies ibi animaduertuntur. Quemadmodum hyemis initium apud ipsos in ver nostrum incidit, sic æstatis initium apud ipsos in autumnum nostrum, Septembrem videlicet cadit, vnde calorem in æstate

Æquinoctium.

æstate remissiorem aliquanto, quam in hyeme experiuntur. Tarde admodum & distincte loquuntur, vnde facilius lingua eorum intelligi & addisci potest, quam eorum qui in littore Guineæ habitant.

Promontorium quod *Cabo Lopo Gonsalves* vocant 8. miliaribus à *Rio de Gabom*, meridiem versus situm est, & facile agnosci potest, cum terra ibi nulla sit alia, quæ occasum versus tam longe in mare excurrat, quam ipsum hoc promontorium, quod gradu vnico ab æquinoctiali linea meridiem versus nauigando distat. *Situs promontorij seu Cabo Lopo Gonsalvei.*

Ad promontorium vbi peruentum est, fluuius quidam, tribus ab eo miliaribus fere Euronotum versus excurrens cernitur, quem Batauı plerunque eboris coëmendi gratia inuisere solent. Reperiuntur autem in eo Equi marini & crocodili, vnde colligere quidam volunt, alueum eum forsitan ex Nilo deriuatum esse.

Cæterum multis animalibus & feris bestiis tractus hic abundat, habet enim Elephantes, Bubalos, Dracones, Serpentes, Simios, Cercopithecos, & feras alias, aspectu horrendas, natura vero nocentissimas. Homines autem qui in hoc promontorio habitant, multo sunt illis, qui in *Gabom* viuunt, humaniores, & conuersationes peregrinorum facilius admittunt, vnde etiam commercia cum his melius exercere quam cum illis possunt, cum nullum adhuc illatæ Batauis iniuriæ exemplum extet. Portum vero promontorium hoc admodum conuenientem habet, vbi non solum anchoris firmari, sed etiam purgari & reparari naues quam optime possunt, Itaque domum reuersuri Batauí eum non facile præterire solent, cum præsertim etiam de alimentis & rebus necessariis aliis sibi ibi prospicere quam optime possint. Sed bolide profunditas ibi crebro exploranda est, cum locus iste propter latentium breuiorum & arenarum frequentes tumulos, periculo non destituatur. *Animalia.*

FINIS.

ICONES
Seu
VERÆ ET VIVÆ REPRÆSENTATIONES OMNIVM PRÆCIPVARVM RERVM, DE QVIBVS IN HOC

libro pertractatum est, virorum nempe & mulierum cum vestimentis, armis & ornatu ipsorum, Mercatuum item & superstitionum, Bellorum, Iudiciorum, Ædificiorum, Piscationum, Cōmerciorum, & rerum huiusmodi aliarum: Ceremoniarum item creandi Nobiles & sepeliendi defunctos: Variorum præterea animalium, arborum & fructuum ex terra nascentium, &c. quæ omnia in aurifero Guineæ littore inueniuntur & cernuntur.

ELEGANTISSIME IN ÆS INCISÆ, & legentium oculis exposita.

Studio & opera

IOHANNIS THEODORI, ET IOHANNIS ISRAELIS de Bry, fratrum germanorum.



FRANCOFORTI.
Ex Officina Typographica Wolffgangi Richteri, Sumptibus Fratrum prædictorum.
M. DCIII.

I.

REPRÆSENTATIO VIRORVM QVORVNDAM IN AVRIFERO Guineæ littore habitantium.





E*Xpreſſimus hac Figurâ ſtaturam & proportionem virorum in hoc littore degentium, cuius nimirum ſint magnitudinis & formæ. Denotat vero* A. *litera mancipium ſiue ſeruum, quem ipſi* Akoba *vocant, quomodo nimirum in Syluam ſecuri inſtructus egrediatur, ad ſecandum ligna.* B. *litera denotat Agricolam vel ruſticum aliquem,* Abaffra *dictum, cum calamis Indicis & rebus aliis ad mercatum tendentem.* C. *piſcatorem vel nautam* Aponſo *dictum denotat, quomodo nimirum ſella & inſtrumentis aliis inſtructus ad littus maris contendat, piſcatum abiturus.* D. *oſtendit rationem portandi Cymbas vel Nauiculas à littore ad locum ſtationis.* E. *ruſticos repræſentat, vinum de Palma ad mercatum portantes.*


2.

III.
REPRÆSENTATIO MVLIERVM, ET VESTIMENTORVM, QVIbus vtuntur.



E*Xpreſſimus hac Figura ſtaturam & proportionem mulierum; & veſtimentorum, quibus indutæ per plateas incedunt*. A. *vxorem Luſitani cuiuſdam denotat, quales in Caſtello* La Mina *Luſitanis cohabitant, coloris ex albo & nigro in luridum commixti, vocantur Luſitanis* Melato, *& loco vxorum habentur, cum Luſitanicas mulieres littus hoc non ferat, incedunt raſis capitibus, & multis orbiculis precatoriis varie exornatæ*. B. *mulieres exprimit ruſticas, cum omnis generis fructibus quotidie in forum procedentes*. C. *virgo eſt*, Acatiaſſa *vulgo dicta, quomodo nimirum armillis & monilibus aliis ornata, veſtimentis item nitidioribus induta, per plateas incedere ſoleat*. D. *mulierem denotat vulgatam ſeu plebeiam, quam* Hiro *vocant, quomodo nimirum infantes ſuos, quos à tergo ſuſpenſos geſtant, mammillis in humerū reiectis, inter eundum nutriat. Faciem habet ſciſſam varie & coloratam, capillis in capite conuolutis & inſtar pileoli alicuius eleuatis.*

IV. REPRÆ-


RPJCB

III.

REPRÆSENTATIO VESTIMENTORVM, QVIBVS VIRI IN HOC littore vtuntur.





Xpressimus hac Figurâ modum, quo viri in hoc littore vestiuntur. A. *litera Nobilem denotat, vel alium sortis præcipuæ virum, quem* Brenipono *vocant, quomodo nimirum per plateas quotidie incedat, vitta in capite tectus, & pallio vestimentisq́ aliis linteis indutus.* B. *Mercatorem denotat,* Batafou *dictum, quomodo peregrè veniens commercia in locis maritimis exercere expetat, pileum in capite habet ex pellibus caninis factum, femora linteo conuoluto cinctus est, gerens in vna quidem manu iaculum vel hastam missilem, in altera vero peluim cupream.* C. *interpretem & proxenetam denotat, qui mercatores paganos in contrahendo cum Batauis iuuat, pileolum ex calamis Indicis factum in capite habens.* D. *rationem ostendit, quomodo peracta mercatura pagani, ex ciuitatibus maritimis discedentes, mancipiorum suorum opera merces coemptas domum transportent.*

IV. REPRÆ.




IV.

REPRÆSENTATIO FORI CELEBERRIMI IN CABO Corſſo.



P*Vlcherrimum & celeberrimum fere forum in Cabo Corſſo reperitur, cuius hic repræſentationem lectori communicare viſum eſt.* A. *litera ædificiũ præfecti iſtius loci denotat.* B. *Horreum eſt, pro cuſtodiendo frumẽto præfecti.* C. Bannanas *ſiue fructuum forũ eſt, quod pomariũ dixeris, macello ſimul coniunctũ, vbi carnes venduntur.* D. *locus eſt Agricolis vinum de Palma vendentibus deſtinatus.* E. *Forum eſt gallinarium.* F. *eſt forum piſcarium.* G. *forum lignarium.* H. *forum frumentarium.* I. *locus eſt vendendis recentibus aquis deſtinatus.* K. *Forum matutinum eſt, vendendis calamis Indicis deſtinatus.* L. *oſtendit rationem quomodo mercatores pagani linteum á Batauis coemptum, remetiantur.* M. *Locus eſt vendendis panibus, quos* Kanquiens *vocant, deſtinatus.* N. *Menſa eſt vel Ara, vbi* Fetiſſo *ſuo ſacrificant.* O. *Batauiſunt, in forum res neceſſarias empturi procedentes.* P. *Satellites ſunt præfecti, qui armati per plateas incedunt.* Q. *via eſt ad mare ducens.* R. *via eſt qua ad Caſtellum* De Mina *itur.* S. *via eſt ad Ciuitatem* Fœtu, *& alias à mari remotiores ducens.*


RPJCB

V.


REPRÆSENTATIO VARIARVM CEREMONIARVM, AD RELIGIONEM ipsorum pertinentium.





Xplicare hac Figurâ conati sumus varias Ceremonias & supstitiones, quas circa cultū numinis sui Fetisso *adhibere solent.* A. *litera denotat quomodo* Fetissero *siue sacerdos cum duabus suis vxoribus, ad arborem consistentes, Numen suum inuocent, & in honorem eius vestimentis præstantioribus induti tympanum pulsent saltentq;. Ad radicem arboris ater canis expressus est, qualis huic* Fetissero *plerumq; apparet & ad interrogata respondet. Arbor ipsa multis annulis stramineis circumdata est, quos ipsi* Sainctos *vocant, & postmodum brachiis, pedibusq; alligant.* B. *explicat aliam inuocandi numinis sui rationem, qua vtuntur pro impetrandis multis mercatoribus, itemq; pro pluuia obtinenda, cuius beneficio multum auri inueniant.* C. *exprimit ceremonias, quibus in deuouendis aliis vtuntur, item in defunctis suo* Fetisso, *seu numini, commendandis, ne ipsis in itinere impedimento sit.* D. *rationem ostendit, qua singulis diebus Martis sabbathum suum celebrant, circumcisionem & alias Ceremonias administrantes.*

VI.
REPRÆSENTATIO BELLORVM, ET QVOMODO SE AD ILLA præparent.



IN bellum profecturi armis ſeſe inſtruunt, primo enim Clypeos apprehendunt, qui ex arundinibus facti ſex pedes longi & quatuor lati ſunt, inſtratam pellem bouinam habentes, vt eo fortius iniuriis externis reſiſtant. Qui nobiliores ſunt, laminas ferreas duos pedes longas eis imponi, & rubro colore exornari curant. Præter hos Clypeos ſertum ex arborum frondibus contextum, ab humero infra brachium alterum ſuſpenſum gerunt, excipiendis plagis & verberibus deſtinatum, manu altera haſtas tenent ſiue iacula miſſilia, ex ferro pulchre elaborata, ſub cingulo ſicam latentem habentes. A. *litera gregarium denotat militem, quem ipſi* Confokom *vocant, quomodo nimirum arcu & pharetra ſagittis grauida inſtructus in bellum abeat.* B. *præparationem præfecti, qui ipſis* Æno *dicitur, & reliquorũ nobilium denotat.* C. *Militem ſiue* Confokom *oſtendit alium, qui ſagittis miſſilibus armatus, & pugionem poſt cingulum inſertum habens, in bellum proficiſcitur. Patet vero etiam ex hac Figurâ, quomodo pugnantes congrediantur, & propria ædificia ciuitateſq; ſæpe igne ante, quam in bellum proficiſcantur, perdant atq; exurant.*


RPJCB


VII.

REPRÆSENTATIO PROCESSVS IN IVDICIIS CIVILIBVS ET criminalibus vſitati.



*Onere tibi hac Figurâ ante oculos voluimus rationem iudiciorum, quomodo nimirum in Iudicium acti, accuſentur & condemnentur.* A. *literæ Regem vel præfectum denotat, pro tribunali ſedentem.* B. *oſtendit rationem quomodo AEthiops, qui Batauum aliquem trucidauerat, ſupplicio affectus ſit, haſta nimirum per corpus eius acta, & capite ceruicibus reſecto, quod poſtea ab arbore ſuſpenſum fuit.* C. *rationem oſtendit, quomodo corpus in aliquot partes diſſectum auibus deuorandum obiiciatur.* D. *Rationem oſtendit, quomodo mulier quædam viro ſuo ob adulterii ſuſpicionem ſeſe purgat, aſſumpto ſcilicet potu, quem iuramenti loco habent.* E. *oſtendit rationem, quomodo ſibi inuicem ſeſe obligant, plantis pedum eius, cui obligatio iſta fit, faciem & totum corpus ſuum terentes.* F. *vindictæ rationem monſtrat, quomodo nempe ſe ipſos vlciſcantur, cum in cauſis arduis iudicio Regis ſtare recuſant.* G. *rationem oſtendit, quomodo mulieres eum, qui ſupplicio affectus eſt, deplorent & querantur.*

VIII. REPRÆ-



VIII.

REPRÆSENTATIO COMMERCIORVM ET NEGOTIATIONVM, QVAS NIgritæ cum Batauis exercent.



DElineauimus hac Figurâ rationem Commerciorum; quomodo nimirum Nigritæ Cymbis ſuis, quas ipſi Ehem *vocant, ad naues Batauorũ aduecti, mercaturam cum eis exerceant.* A. *Nauis eſt Hollandica, commerciorum gratia in* Guineæ *littore ſubſiſtens.* B. *mercatores ſunt AEthiopes, ad Batauorum nauim aduecti vt merces ab ipſis coemant.* C. *rationem monſtrat quomodo, cum mercibus domum reuertentes, ab ocioſis quibusdam, in littore maris aduentum eorum præſtolantibus, excipiantur, qui oretenus mare ingreſſi Cymbas exonerare ſilent mercibus, in terram delatis.* D. *Telonium Regis eſt, vbi tributum ſoluere de mercibus coemptis mercatores hi coguntur.* E. *rationem oſtendit, quomodo Cymbam in terram deducant, & in locum ſtationis deportent.*

IX.

REPRÆSENTATIO PISCATIONVM DIVRNARVM.





Xplicare hac Figurâ conati sumus rationem, quomodo de die piscaturam exerceant, & qualibus instrumentis vtantur. A. *litera studium ipsorum ostendit, quo piscaturæ incumbunt, primo nempe statim diluculo cateruatim in mare proficiscentes, vbi bini semper in vna cymba sedentes, ingenti labore contendunt, vt primas in piscatione obtineant.* B. *Hi pisces retibus capiunt, quæ sub noctem mari immersa, horis matutinis rursus eleuant, pisces ex eis colligentes, Luciis nostris non absimiles.* C. *Hi funiculis capitibus suis alligatis, & magna celeritate per mare traductis, pisces capiunt, quos* Quorgofado *vocant.* D. *Hi cymbis suis in mari quiescentes, funiculos eiiciunt multis hamis infestos, quibus pisces adhærent, halecibus nostris non absimiles, quos ipsi* Sardino *vocant.*

X.

DELINEATIO PISCATIONUM NOCTURNARUM.



*Vm præcipuam in capiendis piſcibus adhibeant diligentiam, rationem etiam piſcationum nocturnarum delineare tibi voluimus.* A. *Piſcatores quidã cymba ab altera parte multis foraminib. ꝑtuſa vtuntur, per q̃ ab igni in cymba excitato, radii in mare proiiciũtur, quib. inuitati piſces, fuſcina traiecti extrahuntur.* B. *Hic facem ardentem altera manu præferens, altera fuſcinam tenet, cumq́; videt piſces appropinquare, immiſſa in aquã fuſcina, traiectos ex mari eleuat. Interim cymba per nautam aliquem ad locum dirigitur vbi piſces ſeſe fortè oſtendunt.* C. *Hic rete habet, quo in mare proiecto, ſimili ferè ratione qua noſtri, piſces comprehendit.* D. *Piſcatores hi altera manu facem præferentes altera corbem tenent ſportis, quæ pullis gallinarum apud nos inſterni ſolent, non abſimilem, cum igitur piſces vident, corbem ipſis inſternunt, immiſſaq́; ex ſuperiori parte manu, comprehenſos extrahunt, funiculo per oculos eorum traiecto, à collo eos ſuſpendentes, qui quidem ſapore ad Salmones noſtros proxime accedunt.* E. *Scapha eſt, carbaſo iunceo inſtructa, quali vtuntur, vinum de Palmis, ex vna ciuitate in aliam deuehentes.*

XI.

REPRÆSENTATIO PECORVM ET ANIMALIVM IN GVInea cicuratorum.





Nimalia hac Figurâ cicurata omnia, tam quadrupeda quam volatilia, quæ in Guinea quidem reperiuntur, tibi repræsentata exhibemus. A. *vaccam denotat, cornua in capite transuersa habentem.* B. *cerua est, nostris similis.* C. *Sus est, nostris paulo minor.* D. *Ouis est,* Cabrito *ipsis dicta, lanam habens caprarum pellibus similem.* E. *pauonem denotat pennis & colore nostratibus similem.* F. *Canis est, os aliquanto nostris longius habens, sed latrare non valens.* G. *Felis est vel Catus* Agali, *à quibus zibethum vel moschus colligitur.* H. *Auis est, Aquilæ similis, nisi quod cauda Gallum Decumanum, quē Gallopauum alii vocant, repræsentet, male admodum olens.* I. *Felis est vel Catus barbam habens.* K. *Anser est ab Hollandis eo perlatus.* L. *animalculum est mustelam referens.* M. *Gallus & gallina sunt nostris similes.* N. *Damæ sunt vel capellæ syluestres.* O. *Psittacus est coloris cærulei.* P. *Nidulos auium repræsentat, quos aues quædam à tenerrimis arborum frondibus suspendunt, vt à serpentibus liberæ esse & pullos excludere possint.* Q. *simii sunt & cercopitheci.* R. *Apes ad arborum frondes nidulantes denotat.*

XII. Deline-

XII.

DELINEATIO VENATIONVM,

QVOMODO NIMIRVM OMNIS GENERIS feras capiant.



VEnationum delineationem hac Figurâ tibi proponere voluimus, quomodo nimirum feras quaſdam venari & capere ſoleant. A. litera modum oſtendit capiendi Pardales ſiue Leopardos. B. rationem monſtrat quomodo Ceruos haſtis ſuis miſsilibus & ſagittis traiiciant. C. Venationem leporum exprimit, quos in vnum congregatos locum baculis ferire ſolent, vt concidentes ſtatim extinguantur. D. Rationem oſtendit capiendi Elephantes, parata nimirum per dolum fouea, in quam tranſire volentes decidant, ita vt inde liberari amplius non poſsint.

XIII.

REPRÆSENTATIO BESTIARVM FERARVM OMNIS GENERIS, QVALES IN Guinea reperiuntur.



IN hac Figura omnis generis feras bestias expressimus, quæ & inter se ipsas discordes, & hominibus nocentes sunt atque perniciosæ. A. *Elephas est inimicitiam cum Rhinocerote habens.* B. *Tigris est fera crudelissima, & hominibus præ cæteris infensa.* C. *Pardalis seu Leopardus.* D. *Crocodilus in terra & aquis viuere valens.* H. *Rhinoceros est animal vnius in nare cornu, hostis Elephantis infensissimus.* I. *Rana est eiusdem cum nostris formæ.* K. *Vulpeculam denotat.* L. *Formicam, quæ ibi ingentes & copiosæ reperiuntur, multumq; hominibus perniciosæ existunt.* M. *Lacertus est hostis infensissimus serpentum.* N. *Serpens est, quales ibi ingentis magnitudinis reperiuntur.* O. *Araneus est nostris multo maior.* P. *Grues notat.*

XIV.

REPRÆSENTATIO AGRICVLTVRÆ ET FRVCTVVM VARIORVM ex terra naſcentium.



A*Griculturæ illorum rationem percepturus literas ſequentes inſpice.* A. *Modum tibi oſtendit excidendi & comburendi ſyluam aliquam, vt agrum ſibi præparent, vbi frumentum ſerant.* B. *Rationem monſtrat agrum parandi, & ſeminandi frumentum.* C *Rationem oſtendit, qua finita agricultura, radices & ſtipulas comburant, & læti epulentur.* D. *Milium eſt vulgare ipſorum frumentum.* E. *Oſtendit quomodo piſa minora, rubri & nigri coloris, naſcantur.* F. *Oryzam denotat.* G. *Triticum Turcicum, quod ipſis* Mays *vocatur.* H. *Arbor eſt fabas maiores proferens.* I. *Vero exprimit rationem quomodo nimirum grana Manigette naſcantur. Poſtremo ratio etiam colligendi ex arboribus vinum hic exprimitur, & quomodo Palma arbor, cum ſenio confecta vinum ſuppeditare amplius recuſat, à radice abſciſſa, igne accendatur, vt ab altera parte vinum deſtillet, ex qua radice arbor poſtmodum noua renaſcitur.*

XV.
ÆDIFICIORVM, ET REI FAMILIARIS ADMINISTRANDÆ RATIO.



HÆc ædificiorum in Guinea ratio eſt, quorum vnumquodque tot manſiones habet, quot perſonæ in eo reperiuntur Vir enim & mulierum quælibet manſiones habent peculiares, & ab aliis diſtinctas, vbi etiam pernoctare cum liberis ſuis ſolent. A. *litera Regem denotat in porticu ſedentem, ſeque cum nobilibus ſuis aulicis interdiu oblectantem.* B. *Tympanum oſtendit & vaſculum, quod aquia repletum præ foribus aulæ Regiæ ſemper conſpicitur.* D. *Rationem oſtendit, qua viri & mulieres ſeorſim in manſionibus ſuis ſomnum capiunt, pedibus igni oppoſitis.* E. *Culina eſt ab aliis manſionibus diſtincta.* F. *Rationem oſtendit potationum, quæ à viris crebro inſtituuntur.* G. *Mulier eſt puerpera, quæ edito in lucem infante, potum ex granis* Manigette *confectum bibit.* H. *Rationem oſtendit, quomodo puerpera ſtatim à partu ſeipſam cum infante recens nato in mari lauet.*

XVI.DELI-

XVI.

DELINEATIO SOLENNITATIS, QVA NOBILES CREARI SOLENT.



*Elineauimus tibi hac Figurâ rationem creandi Nobiles in hoc Guineæ regno. Honor hic apud ipsos pcipuus est, & magno cum Triumpho alicui cõfertur, itaq; etiam à pueritia sua semper eum expetunt, & totam substantiam suam ei impendunt. In hac autem solennitate mulieres ludendo, cantando & saltando, viri vero pugnando & certando per integrum sese triduum oblectant, quo finito bouem tandem mactatum inter populum distribuunt, qui quidem litera* A. *in hac Figurâ denotatur.* B. *Candidatus est Nobilitatis, seu persona, cui nobilitatis insignia iam conferenda sunt, qui in sella sedens à seruis vel mancipiis suis per ciuitatem circumgestatur, ita vt pedibus suis mancipia vel seruos duos premat, qui incuruati sub ipso incedunt.* C. *Vxor est huius noui nobilis, armillas aureas in brachiis habens.* D. *Præfectus ciuitatis est, qui cum consiliariis suis sedens Triumphum intuetur.* E. *Mulieres sunt chorum ducentes.* F. *Psaltriæ sunt siue mulieres in pelui & aliis instrumentis musicis ludentes.* G. *Satellites sunt siue Milites, qui Nobilem comitantur & varios spectatoribus ludos præbent.* H. *Mulier est, quam sale & albo colore Nobilium vxores aliæ conspergunt.* I. *Vulgus est vtriusq; sexus spectatum hunc Triumphum aduenien s.*

XVII.

REPRÆSENTATIO MVLIERVM VARIE EXORNATARVM, ET QVOmodo matrimonium contrahant.





N hac Figura mulieres quasdam varie exornatas & rationem contrahendorum matrimoniorũ expressimus. A.*litera Regiam denotat mulierem, quam* Æneodifie *vocant, ostendens quali in Sabatho habitu vtantur, & quomodo per plateas incedant, ornatæ nimirum multis orbiculis Coralinis funiculo traiectis, & altera quidem manu muscarium tenentes, quo muscas abigant, alteram vero armillis aureis insignitam habens, quibus Clypei ad modum minoris operculi facti adhærent.* B. *Meretrix est siue mulier vsuaria.* Etigafo *dicta, quæ similiter sese pulchre exornare solet, Cutem in facie & humeris aliquot secturis aperiens; pedibus vero nolas & tintinabula circumdans, vt in cedens exaudiatur, & brachiis annulos eburneos induens. Huic infantem apposuimus, indumento retis alicuius instar indutum, quo aduersus Diabolorum insultus tutum eum reddi autumant.* C. *Mulier est operas domesticas perficiens.* D. *ostendit rationem contrahendi matrimonium.* E. *Modum ostendit, quo in plateis se inuicem matutino tempore salutare solent, digitis duobus prioribus perstrepentes, &* Auzy *suum ingeminantes.*

XVIII.

REPRÆSENTATIO CEREMONIARVM, QVIBVS IN SEPELIENDIS defunctis suis vtuntur.





Xplicare hac Figurâ voluimus, quibus Ceremoniis defunctos suos prosequantur, & quomodo eos terræ mandare soleant. A. *Monumentum est, defuncto vna cum omni supellectile, quam ipsi tradunt, sepeliendo destinatum.* B. *Pompam denotat mulierum, funus deducentium & concomitantium, quarum quæ funus præcedunt pelluuiis & instrumentis aliis ludentes, canunt & saltant, Reliquæ vero multis lachrymis funus prosequuntur, ingentem luctum & mærorem præ se ferentes.* C. *Rationem ostendit, quomodo mulieres hinc inde per sepulchrum serpant, cum defunctus in id iam collocatus, & terra aliquo modo opertus est.* D. *Rationem ostendit, quomodo peracta iam sepultura mare ingrediantur, & corporibus aqua probe ablutis, domum tandem Cibo & Potu sese recreatum pergant.*

XIX.
REPRÆSENTATIO MAIESTATIS, QVA REX IN CABO LOPO GONSALVES coram peregrinis ſeſe oſtentare ſolet.






Xpreſſimus hac Figurâ conſtitutionem promontorii, quod Cabo Lopo Gonſalues *vulgo vocant, & primo q̃dem Maieſtatem Regiã, qua Rex in hoc promontorio peregrinis ſeſe exhibere ſolet, ſi qui fortè ad colloquium eius admitti expetant, vbi in ſella, ad tres vel quatuor gradus eleuata, reſidens, ab vtroq; latere Nobilibus ſuis cingitur, & peregrinos in Storia humi ſtrata reſidere iubet. Deinde ſcapham ex arbore excauata constructam tantæ magnitudinis & capacitatis, vt vel 60. perſonas ſimul capere & ſuſtinere poſſit. Tertio, Equum marinum, quorum ibi multi reperiuntur in terra & aquis ſimul viuentes. Tandem ædificiorum rationem, & quomodo mulieres vel Storias texere, vel* Bananas *igni torrere ſoleant.*

XX. RE-

XX.

REPRÆSENTATIO EORVM QVÆ PRÆTEREA IN CABO LOPO GONSALUES NOTATU DIGNA CERNUNTUR.





Væ in Figura præcedenti exprimi non potuerunt, & tamen notatu adhuc digna in promontorio, seu CaboLopoGonsalues, *itemque in* Rio de Gabom *occurrunt, in hanc tabellã coniecimus, vbi* A. *litera denotat virum aliquem Illustrem, modo quo possunt optimo exornatum, qui manu quidem hastam missilem tenet, at post cingulum ex corio Bubali factum, pugiones & cultros varios insertos gerit.* B. *Mulierem notat quæ infantem manu ducens armillas cupreas & stanneas in manibus pedibusque gerit, quarum aliquæ pondere suo vel 4. libras excedunt. Cutem habent in toto corpore variis secturis & puncturis deformatam & colore certo infectam.* C. *Virum notat vulgarem, quomodo nimirum quotidie per plateas incedens, mercaturam Eboris cum peregrinis exerceat.*



XXI.

REPRÆSENTATIO BELLORVM, QVÆ ÆTHIOPES INVICEM gerere solent.



AEthiopes in Guinea habitantes, ingenti erga se inuicem odio flagrant, & excitato bello armis haud raro contendunt. Non solum autem viri in bellum proficiscuntur, sed si causa quidem ardua sit, & bellum non facile cōpositum iri videatur, vxores & liberos, cum vniuersa supellectile & bonis omnib. secum ex ciuitate in campum abducunt, ædificiis propriis igne prius accensis, ne si hostis fortè superior fiat, ea occupare possit. Rationem igitur præliorum eiusmodi hic exprimere voluimus, addentes simul quomodo Reges finito bello, & firmata ab vtraq; parte pace, obsides sibi inuicem, magna cum solennitate transmittant.

XXII.
REGIÆ IN GVINEA SEPVLTVRÆ REPRÆSENTATIO.





Vm AEthiopes in Guinea habitantes in ea ſint opinione, q defuncti hinc in alium mundum tranſmigrent, vbi ſimiliter viuant & rebus variis vt in hoc mundo opus habeant, ſolent Regem ſuum defunctum non ſolum varia ſupellectile ciboq; & potu donare, ſed etiam ſeruos & ancillas ei aſſignare, quorum miniſterio in altero mundo vtatur. Hinc igitur alius vxorem ſuam, alius filium, alius ſeruum & mancipium, ei offerunt, ex improuiſo eos trucidantes, & ad aulam Regiam deportantes, vt Regem in itinere comitentur, & ſeruitiis eius fungantur. Et quidem corpora interfectorum vnà cum Rege vni imponuntur tumulo, capita vero ceruicib. reſecta, haſtis circa tumulum defoſſis, affiguntur. Cæterum ſepulchro vniuerſa Regis arma cibumq; & potum imponunt, & imagines aulicorum ex terra ad viuum efformatas conſecrant, excubias ad tumulum ſubinde agentes, ne quid impoſitarum rerum inde ſubtrahatur.

XXIII.
REPRÆSENTATIO ÆDIFICIORVM IN BENYN, ET QVID PRÆTEREA notatu dignum ibi occurrat.



BEnyn *Ciuitas magna eſt, ædificia habens pulchra quidem, ſed feneſtris carentia, lucem vero per tectum recipientia. Ex his quæ Nobilibus habitantur perſonis, præ cæteris illuſtria ſunt & eleuata, vt non niſi per tres vel quatuor gradus, introitus ad ea pateat. Regem habet, aulam ingentis capacitatis inhabitantem, ad quã aulici Nobiles ſequenti modo feruntur. Equis, quos admodum humiles habent, ſellam Ephippii loco inſternunt, cui poſtmodum Nobilis inſtar virginum in noſtris regionibus inſidet, pede vtroq; ab altero tantum latere demiſſis. Ab vtroq; latere comitatur eum ſeruus aliquis, cui inter equitandum innititur, ne equo decidat; Equum vero tertius quidam loro ducit. A tergo autem magna eum ſeruorum Copia comitatur, quorum vnus vmbella ſolem à capite eius arcet; reliqui inſtrumentis muſicis ludunt, vt ita Nobilem ſuum honorificè ad aulam perducant. Adiecimus vero etiam rationem, reos capitali ſupplicio afficiendi, huic enim obligatis oculis ad locum ſupplicii perducto, manus poſt tergum colligatæ attrahuntur, ita vt caput in terram demittere cogatur, q; poſtmodũ Spiculator ſecuri ferit, corpore in quatuor partes diſſecto.*

XXIV. DE-

XXIV.

DELINEATIO CASTELLI ET PROPVGNACVLI LVSITANORVM,

La Mina, &c.



Aſtellum La Mina, *alias* à S. Georgio *etiam cognominatum, à Luſitanis Anno 1482. de mandato Iohannis II. Portugaliæ Regis extructum eſt, vt Aethiopibus terrori eſſet, & peregrinos ſimul ab hoc littore prohiberet. Cuius quidem delineationem tibi ob oculos ponere viſum eſt. A. enim litera, Caſtellum vel propugnaculum ipſum. B. Templum S. Georgii, à quo Caſtellum etiam nomen* S. Georgii *obtinuit. C. Pagum ad Caſtellum pertinẽtem.* D. *vero templum S. Iacobi denotat.*



XXV.

DELINEATIO TOTIVS INSVLÆ S. THOMÆ.



CVm in descriptione huius historiæ aliquoties facta fuerit mentio insulæ à S. Thoma cognominatæ, quæ prima fuit, quam Lusitani in Africa aperuerunt, & cuius beneficio postmodo vniuersum Guineæ littus inuentum & apertum est, operæ pretium nos facturos putauimus, si eius delineationem huic quoque operi adderemus. Constat autem hæc insula in circumferentia sua miliaribus 26. sita est præcise sub linea Aequinoctiali, Metropolis eius à veteri totius insulæ nomine Pottoasan *vocatur, & ædificiis fere 1200. constat. Inuenta est à Lusitanis Anno 1405. quo tempore mera ibi solitudo, perpetuis syluis formidabilis erat. Eodem autem anno etiam insula* Del Principe *à Lusitanis aperta est, qui littus* Guineæ *eruere & aperire cœperunt, circa An.* 1433. *temporib.* Henrici *infantis Portugaliæ.*

XXV.
DELINEATIO TOTIVS INSVLÆ S. THOMÆ.






Vm in descriptione huius historiæ aliquoties facta fuerit mentio insulæ à S. Thoma cognominatæ, quæ prima fuit, quam Lusitani in Africa aperuerunt, & cuius beneficio postmodo vniuersum Guineæ littus inuentum & apertum est, operæ pretium nos facturos putauimus, si eius delineationem huic quoque operi adderemus. Constat autem hæc insula in circumferentia sua miliaribus 26. sita est præcise sub linea Aequinoctiali; Metropolis eius à veteri totius insulæ nomine Pottoasan *vocatur, & ædificiis fere 1200. constat. Inuenta est à Lusitanis Anno 1405. quo tempore mera ibi solitudo, perpetuis syluis formidabilis erat. Eodem autem anno etiam insula* Del Principe *à Lusitanis aperta est, qui littus* Guineæ *eruere & aperire cœperunt, circa An.* 1433. *temporib.* Henrici *infantis Portugaliæ.*



XXVI.

REPRÆSENTATIO CAPITVM PRÆCIPVARVM ALIQVOT PERSONARVM in Benyn.








Vm inſignis horum populorum faſtus ex varia capillorum in capite raſura paſſim appareat, viſum eſt ſub finem huius operis aliquot Capita depicta oculis tuis exponere. Notãdum autem eſt, præſentem hanc raſuram tam virorũ quam mulierum, in Benyn *potiſſimum vſitatam eſſe, vbi certi perſonarum gradus hac raſura ab inuicem diſcernũtur, vt vel ex ipſo intuitu, quæ perſona cuius conditionis dignitatisq; ſit, & quale munus ſuſtineat, cognoſci facile poſsit.*


F I N I S.

Maneat Gloria Altiſſimo Deo.














GAUDEO